A

QVÆSTIONES SEX, TOTIDEM PRÆLECTIONIBVS, IN SCHOLA THEOLOGICA, OXONIÆ, PRO FORMA, HABITIS, DISCVSSAE, ET DISCEPTATÆ.

ANNO. 1597.

IN QVIBVS, E SACRA SCRIPTVRA, ET PATRIBVS ANtiquissimis, quid statuendum sit, definitur:

PER GEORGIVM ABBATEM tunc Collegij Baliolensis socium.

Johan. 9. 4. *Venit nox quum nemo potest operari.*
Gregor. Nazianz. Orat. 21. *Vtinam ex eorum sim numero, qui pro veritate decertant, & in hominum offensionem incurrunt.*



OXONIÆ,
Ex Officinâ JOSEPHI BARNESII Typographicâ. M. D. XCVIII.

HONORATISSIMO VIRO,
D. THOMÆ SACKVILLO, BARONI
Buckhurstio, Aureæ Periscelidis Equiti, Serenissimæ Regiæ Majestati à Secretioribus
*Consilijs, & Academiæ Oxoniensis
Cancellario Amplissimo. S.*

***
*

VM apud meipsum sæpè serioq; recolam, quãta, ego minimus certè, & postremus famulorum Dei, quibus, quantisq; debeam, Ecclesię omnia, Academiæ multa, tibi verò Vir Illustrissime, (post Principem, parentesq;) ex omni humano genere, plurima; vehementer cupio, aliquam jam tandem inire rationem, quâ testatum faciam, me gratâ saltem recordatione hæc omnia complecti; quando, parem pro tantis meritis reddendo gratiam, solvendo satis esse nunquàm possim. Occurrit verò nihil apud tenuitatem meam accommodatius, quo observantiam, affectumque palàm contestarer, quàm Primitias istas studij, laborisque mei, eorum potissimùm conspectui commendare,

 qui-

quibus ego me sentio cum primis obligatum; sicque, unâ velut operâ, multiplicis officij commemorationem, quantâ maximâ queam gratitudine, significare. Nec in offensionem cujusquam non iniqui rerum æstimatoris, consilium istud meum incurrere posse, cogito; dum quæ disjuncta videantur, Ecclesia, Academia, Insignissimus Heros, ad unum, adeóque levidense munus conjungenda advocem; cùm & Illa Filium, & Ista Patrem Teipsum agnoscat; & utramque, Illam scilicet, tanquam Christi sponsam in terris exulantem, Istam, tanquam alterum nostræ Angliæ oculũ, tuo lumine quasi sidere nobiliore collustratum, in amore non modò, sed & in delicijs habeas. Nihil ideò sum veritus, tria, tam arctè convenientia, conspirantia tam intimè, in unum committere: Verùm potiùs & ruborem, & timorem aliud incutit, ità pusillum nempè illud esse, quod Ternioni tam illustri dicandum, & consecrandum venit. Tria enim tanta, taliaque, meritò, suóque jure id poterunt vendicare, quicquid demùm ingenio sit acutissimum, limatissimum judicio, sermone politissimum, eruditione accuratum, industriâ elaboratum maximè: Cujus generis nihil, in Opusculo præsenti, vel spõdere novit Author, vel Lector reperiet.

Quando tamen animadverto, quàm rari sint, qui vel olim, vel erudito hoc seculo, isthæc de Mendacio, de Baptismo Laicorum, de Præsentiâ in cultu Idololatrico, de Fugâ in Pestiferâ ingruente tempestate, (ut de reliquis nihil addam) fusiùs, solidiusque pertractârint; & perpendo itidem, quàm celebrem, frequentemque, in humanâ & communi vitâ, horum

rum cognitio usum habeat; Ego, qui neutiquam ad inanem speculationem, aut contemplationem scientem magis, quàm scientiâ fruentem, quin ad temporum potiùs necessitatem, & fidelium commoditatem, mea omnia dirigenda existimavi; ut in apertum tandem Solis, hominumque conspectum, Lectiones istæ, & superioris anni Lucubrationes emergant, prorsus penitusque non abhorreo. Etenim, apud animum non despero meum, posse illud Dei miserentis auxilio, facillimè contingere, ut aliquorum utique vel rudiorum, vel infirmiorum bono, hæc legantur Miscellanea; & una, alteravé saltem miserrima animula, nunc Antichristianis, Pontificijsqué laqueis infeliciter irretita, in libertatē Christianam, manu-missa demum, vinculisqué soluta evolet. Aut si eousque nequaquam sim profecturus, non diffidam tamen, levia isthæc tanquam pugnæ velitaris cœpta, valentioribus Jesu Christi Antesignanis Ducibus, stimulum, calcarqué admotura, ut pro præstanti suo robore, conspicua quædam, & ipsâ luce digna, quandoque conscribant. Et Theologo exercitato non est difficile, in hoc genere aliquid edere; quando variæ, perplexæqué, quæ in orbis Oceano degentibus incumbunt, premuntqué, occupationes, justum fortassis, integrumqué scribere volumen non patiantur. Una verò quæstio, cum judicio disceptata, solutáque ut oportet; unus è difficilioribus Scripturæ locis in communem hominum sermonem, praximqué incurrentibus, solidè explicatus, innumeros, qui quotidiè occurrunt, scrupulos, ex imbecillis fluctuantium, & vacillantium animis solet evellere, & eximere. Illud ego

præcipuè cùm cupiĕrim, (num assecutus sim, nescio:) & devios eo revocare modo, labantes confirmare, lapsos erigere, sit Christi sponsæ pro virili inservire, Ecclesiam in partem laborum meorum cōpellandam arbitrabar. Et quandoquidem in istis sudare, Academiæ multò maximè intersit, Nostræ præsertim,(Cujus tam celebre ubiqúe nomen est, cujus tanta laus, ob emissos, & continuò emittendos in vineam Domini, operarios pios, prudentes, eruditos, exquisitis undiquaque dotibus excultos & refertos) ingratus essem, si sanctissimam illius apud me memoriā lubens non conservarem. Eóque magis, quò plura amoris gratiæqué suæ, tùm à Rectoribus Ipsius venerandis, observandis mihi plurimùm, tùm à reliquorum Ordinum charissimis mihi fratribus, copiosè affatimqúe testimonia reportaverim.

Tibi verò vir Amplissime, apud nos nunquàm laudate satis, quòd ista deferam, duo me potissimū commoverunt: alterum ex Academiæ nostræ parte, alterum ex meâ. Siquidem cùm in tuo Doctorum gymnasio, hæc, quæcunqúe tandem sint, congesta, pronunciata, divulgata fuerint; cui priùs nuncupanda & consecranda sunt, quàm tibi, cujus summam & singularem versus nos omnes, ut alumnos, versus ipsam Academiam, ut dilectissimam tibi conjugem, humanitatem, facilitatem, honorificam industriam, nescio an commemoremus potiùs, vel admiremur magis? Beati sumus, qui misero isto seculo, & in ruinam jam nutante, Musarum Oxoniensium, sub Principe Serenissimâ, Phœnice orbis unicâ, non tam Patronum, quàm Patrem nacti sumus;

fumus; qui ut incredibili judicio, eruditione multùm eximiâ, nobis splendidè præluces, sic animo in nos fovendos, nostráque nimis frequenter controversa Jura, tuenda, tutandaqué propensissimo, tantam apud singulos promereris gloriam, ut nemo uspiam fœliciùs, nemo unquam ampliùs. Dato veniam Vir Præstantissime, si nostri omnium nomine, quas prudens quilibet habendas censet cumulatè, agam gratias: petamque humillimè, ut iisdem, quibus ambulas, Religionis, pietatis, amoris ergà nos vestigiis perpetuò pergas.

Et meipsum dum cogitem, debitæ piæque gratitudinis, multiplex mihi seges oblata est; ut quâcunque possem ratione testatum faciam, mea omnia Tuæ inprimis Amplitudini, referenda verè, & tribuenda esse. Etenim, qui tam egregio me immeritū per plures annos cōplexus es favore; nuper autē nō sedulâ magis, quā auspicatâ operâ, in pusillū hoc, ubi dego, Musarū domiciliū, trāscripsisti, (tuum enim est, quicquid illud est) mihi plurimis nominibus, colendus, honorandus, celebrandus restas. Utinam in officij recordationem sacratissimam, è penu meo literario proferre possem, quod vel tuis gratum esset oculis, vel animo & desiderio responderet meo. Sperabam nihilominùs pręcellentem tuam Benignitatem (donec locupletius aliquid adduxero) ista jam typis mandata non aspernaturam, quæ, calamo tantùm rudiore descripta, versare, legereque (inter tanta Regni & Relp. negotia) dignata est ita pridem lubentissimè. Recognosce tandem precor, & in tuum patrocinium, ut Authorem, sic Opusculum, sereno vultu accipe.

Ego me felicem præclarè duxero, si, quem primum dedit Deus partum, filiolum, & unicum, tua velit Amplitudo è fonte levare.

Summus Deus Te, & Tuos, omni cumulet beatitudine spirituali & cœlesti, & prolixam donans vitam, Te beatissimæ Principi Consiliarium fidum, Reip. columnam stabilem, Academiæ Patronum amantissimum, mihi Mæcenatem honorificum, incolumem diutissimè custodiat. E Collegio universitatis. Maij. 16. 1598.

Honori Tuo deditissimus

GEORGIUS ABBAS.

Hoc

Hoc opere continentur.



Hoc opere continentur.

CHRISTIANO LECTORI S.

Uum superiori anno, ex Academiæ nostræ prudentissimis institutis, & officij mei ratione, aut Paulina mihi aliqua publicè legenda esset Epistola, aut habẽdę alię prelectiones sex; utilius ego multò et fructuosius judicavi, vel pauca copiose & dilucidè explicare, quàm multa summatim tetigisse, aut rapidiùs festinátiusq; transcurrisse. Quamvis etenim breviuscula illa explanatio scripturarum, antiquioribus Ecclesię temporibus satis familiaris fuerit, ut ex Scholijs Basilij Magni in Psalmos Davidicos facillimum est videre; & ejus etiam usus, fructúsque non mediocris apud nos hodiè esse possit, dum universæ alicujus Epistolæ scopus & materia, in arctum, methodo tamen & divisione accuratâ, compingatur; & ipsi rerum uberiorum fontes linguâ potiùs quàm digito signentur, è quibus tanquam vivâ cum scaturigine emergentibus, eæ exhauriri queant aquę, quibus omnis Dei hortus & irrigetur, & recreetur: tamen, cum procelloso nostro turbidóq; seculo, convenire rectiùs existimavi, vacillantia hominũ judicia confirmare, & in rebus vel ad fidem vel ad mores

res pertinentibus, controversis apud aliquos, definitè & apertè aliquid pronunciare. Cui quidem sententiæ jam abhinc diù apud me receptæ, illud etiam pondus roburq; addidit, quòd salutaribus Euangelij principijs, & elementis fidei ad populum explicandis, suggesta, pulpitaq; subservire soleant, cum concertationes & digladiationes, circa res divinas, exortas, Theologorum scholæ & Academię multò potius, suo quasi iure sibi vendicent. Seligebam igitur, partim impulsu meo, aliorum partim hortatu, quæstiones sex, (in quibus tanquam in curriculo me exercerem) quas neq; meâ operâ indignas, nec ætati in quâ degimus ineptas & importunas autumavi. Verè etenim profiteri licet, in illis arenam offerri, in quâ lectionis & judicij non dico mei, sed cujuspiam Theologi periculum fiat, cùm causa sit multiplex, & non paucis difficultatibus involuta: immò undiq; sit præjudicium, undique præcipitium. Et ut intempestiva non sit nostra disputatio, facit orbis undiquaque deflenda iniquitas & [illegible] tam varia lateque nunc diffusa, ut nullus ferè terrarum locus sit, in quo medela, aut opinionibus & conscientiis, aut consuetudinibus hominum afferenda non sit. Et non minima malorum aut scrupulorum hodiernorum pars in istis quę nostro Sermone expediuntur, hæret, dum hinc mendaciorum frequens & infamis usus veraces perturbet; illinc de Baptismo conceptæ superstitiones conscientias affligant: alicubi ab Astrologorum decretis, velut ab Oraculis pendeatur; alibi quid in idolorum templis adeundis vel non adeundis agendum sit, nesciatur: hìc, num grassante vel

persecu-

persecutione vel peste, fugiendum sit, aut operiendum, dubitetur; illic, quo pacto Deus in malis operetur, ut ne agat mala, ambigatur. Quæ quidem omnia ut diversa sunt, neque ulla serie inter se cohærentia; ità minus audienti aut legenti fastidium parient, cùm è maxima varietate, minima soleat nausea suboriri: & rari, meo judicio, futuri sint, quibus in unâ aut alterâ quæstione expendendâ, horulam impendisse dolebit. Et alicui fortassis accendetur animus, dum nostra audiat, in simili argumento progredi, aut ea fusiùs explicare, quæ angustiùs & contractiùs pertractandi, scholarum nostrarum consuetudo necessitatem imposuit. Pauca etenim sunt, quæ distinctè, &, ut decet, unicâ, quovis die, expediri poterint horâ. Ubi tamen prout potui, & conatibus meis benedixit Jehova misericors pater, hæc omnia absolvissem, nihil ampliùs factitandum existimavi, quàm ut in reliquo & consueto studiorum meorum curriculo progrederer, istis penitùs missis factis, quæ polito limatoque nostri seculi judicio non responderent. Verùm cùm importuna nonnullorum vota sæpiùs accederent, qui satis pertinaciter precibus contenderunt, ut sui instruendi & satisfaciendi gratiâ, mearum observationum exemplar, ad minùs vellem porrigere, & communicando impertire, post longam deliberationem, è consilio etiam eorum, qui authoritate plurimùm apud me pollere debent, consultius judicavi, & petentibus & non petentibus morem gerere, in apertum hominum conspectum qualiacunque sint emittendo. Prout igitur anno novissimo, astantium auribus oblata pervenerunt, ità nunc o-

culis repræsento, mutatis adjectisvé vel nullis vel paucissimis, præterquàm eo unico, de Romanensium novo dogmate, cujus primo Capite jam mentio facta est. Et illud, quoniam cum argumento tam optimè quadret meo, non duxi omittendum, licèt ejus magna pars intra annum acta gestaque sit. Reliqua integra prodeunt, dequibus tamen omnibus ista præmittenda atque præmonenda censui.

Cap. 1. Apud hominum genus, nihil facilius, nihil crebrius reperitur, quàm fingendo & comminiscendo veritati contraire. Insinuat sese puerulo iam balbutienti, mendaciorum pater Dæmon, & semen noxium in tenero spargit animo, quod per omnem vitam cum reliquis peccati zizanijs coalescit. Et ubi data est occasio, inolita jam & à cunis inveterata, mentiendi in minutijs consuetudo, in fraudes, imposturas, dolos, technas ità tandem prorumpit, ut fides ferè penitùs ex orbe exulet, & in fœderibus, inducijs, pactis, promissis, nihil penè integrum sanctumqúe permaneat. Hîc si vellent vafri homines delicta fateri sua, & ingenuè errata agnoscere, multò minor facesseretur Theologo molestia; sed econtrà fit, ut non desint qui commenta fraudesqúe in nonnullis tueri acriter non erubescant, quin potiùs exemplis è divinâ historiâ petitis suos lapsus commendare, aut excusare saltem satagant. Et mirum est quoúsque caro & sanguis in his sibi applaudant, dum nequitiæ & malitiæ apud animum destinatæ & decretæ suum, speciosum velum possint obducere. Huic ego nero vehementer cupio remedium afferre, (prout olim

lim Augustinus, de Mendacio, & contra Mendacium doctissimè differens) ut qui veritatem apud omnes inviolatam desidero & exopto. Quo longè odiosior visa est duorum nostratium Southwelli & Gerardi assertio, quippe quâ non modò mendacio, sed & periurio porta aperitur; cui viam dare, utì arbitror, extremæ & deploratæ impietatis est. Exurgent Gentes & Ethnici, in die judicij, & Christianos talia sequentes & docentes condemnabunt. At, ne dum alios mendacij coarguam, ipse tam certum crimen confinxisse videar, (quod ego insigniter detestandum semper censui) non pigebit affirmare, rei gestæ veritatem è testimonio plurium fide dignissimorum testium apparere. Affuerunt etenim & adstiterunt Gerardo, adeóq; rem omnem scriptis posteà consignârũt, D. Richardus Barkleius, Eques Auratus, Custos summus tunc temporis Arcis Londinensis, vir pijssimus & doctissimus, Gulielmus VVadus Regio Consilio Sanctiori ab Epistolis, Edovardus Cookus Attornatus (ut appellant) Generalis, Thomas Flemingus, Regius in negotijs forensibus Procurator, omnes fidei inviolatæ & multis nominibus apud Principem sapientissimam, & Senatum Anglicanum laudati & accepti. Vivunt isti omnes, & cuiquam interroganti testimonium reddere parati sunt. Sed & superstes est Gerardus, utì omnes credimus, è custodiâ, non ante itâ multos menses, astu elapsus, cui pro se jam tandem respondendi potestas est, si ipsius verba vel in minimo apice scrupulóve malè capiamus. Quæ ad Southwellum autem spectant, in apertâ Curiâ acta sunt &

transacta. Credo tamen adversarios vi ipsâ veritatis victos, rem non inficiaturos (utcunque divulgatio ipsis cordi fortassis non sit futura) cùm aliqua, sobriè serioqúe cogitantibus, hujus dogmatis vestigia ante annos aliquot pressa, appareant, licèt paucis nostrorum tunc temporis observata. Non gravabor verbo tangere, quod ante quinquennium non longè ab Oxonio contigit. Cùm potestas extraordinaria illo tempore, sub Regio diplomate viris aliquibus doctissimis & spectatæ integritatis facta fuisset, ut quotquot juxta illos morantes templa adire recusarent, ad se advocarent, & super quibusdam articulis virtute juramenti præstandi, interrogarent, adductus est unus inter reliquos, qui juratus etiam ea confidentissimè respondit, quæ maxima adstantium pars, indubitatè secus se habere, firmiter crediderunt. Ille tamen post seriam & locupletem monitionem, perrexit dicere quod dixisset, neque aliam voluit cantilenam canere. Quod cum satis mirati essent omnes, obstinatam ejus pertinaciam damnantes tacitè, tandem unus, aut perspectâ aut suspectâ saltem fraude, ita infit: Veremur sanè plurimum, ne dum ista affirmes, fraudulenter facias, tu autem aliud sermone spondes. Verùm num jurabis, te isthæc quæ dixisti omnia sincerè dicere, & cum nulla reservatione? (Eo Reservationis nomine, quod illorum est, secretam tacitamqúe aut materiæ aut alicuius circumstantiæ celationem aut suppressionem innuebat.) Hæc cum semel iterumqúe inculcâsset, renuebat planè alter, id ex jurejurando pronunciare, neque ullo voluit assentire modo. I-

tà

tà juvenis illius astutia nonnihil est detecta, & non mediocris injecta suspicio, aliquid latitare tale, quale in Southwello & Gerardo nuper magis eminuit. Cum ego isthæc scriberem, præter illos è quorum sermone hæc omnia ad aures pervenerunt meas, virum ipsum ornatissimum & doctissimum, qui talia tunc temporis coràm submonuerat, consulendum censui, ut quod compertæ veritatis esset, neq; aliud quidquam, scripto mandarem. Is autem non modò hæc omnia agnovit & recognovit, verùm pro singulari suo veritatis expiscandæ & enucleatè eruendæ desiderio, & pro egregiâ in meipsum humanitate, aliud etiam communicavit; quod, ut è tenebris jam tandem eruatur, dignissimum judicavi. Consilij etenim ferè universi rationem complectitur, quo instructi Iesuitæ, & è Seminarijs emissi sacrifici, in Angliam redeunt. Nihil autem quicquam apud illos magis in arcanis haberi, ex eo manifestum est, quòd chartis hæc tantùm, non typis, commendentur: quòd detegere nolint ipsi, cùm in quæstionem venerint: quòd nostrorum vix quisquam aut viderit, aut audierit, nisi eminùs & à longinquo stans. Quo authore consilia aut præcepta hæc prodierint, ex rei deprehensæ circumstantiis, non immeritò dubitari potest; ut etiam de tempore, perspicuum non est; &, num unius sint congesta, & conclusa operâ, vel potiùs plurium. In fine petitiones quasdā comperio, quibus Papa Pius Quintus ante annos viginti septem, censuram immiscuisse suam disertè proditur. Postquam etenim petitioni ferè cuilibet, aut *Annuit* aut *Abnuit* adjungitur, in fine ad verbum subjicitur: *Istæ petitiones*

in formâ superiùs scriptâ exhibitæ Sanctissimo Patri Pio Quinto, per illustrem Cardinalem D. Franc. Alciatum Vice-protectorem Anglorum, in absentiâ Cardinalis Mortoni, quas omnes & singulas approbavit vel improbavit dictus Sanctissimus Pater, ut annotatum est, festo Sancti Michaëlis Archangeli, vivâ voce. Anno Domini 1571. In tractatu tamen superiori, ubi quæstiones ad Schisma, ad Tribunal Judicis, ad Missam, ad Baptismum &c. spectantes discutiuntur, non est simplex solutio, cum negatione aut affirmatione purâ, sed rationes decretorum, è Navarro, Thom. Aquinate, Bonaventura, Patre Roberto, & alijs subjiciuntur: è quarum aliquibus conjecturam licet capere, post Annum 1571. et Pij Quinti tēpora, prodijsse. Quāvis etenim Martinus ab Azpilcueta Doctor Navarrus, Hispanicè & Lusitanicè Enchiridiō sive Manuale Confessariorū & Pœnitentiū, etiam Pauli Tertij tempore ediderit, non tamen Latinè usque ad Annum 1573. quum primùm Romę excusum est, pręmissâ Epistolâ Dedicatoriâ ad Pontificem Max. Gregorium 13. Posteà autem in Belgio, Antuerpiæ rursus typis mandatum est, Anno 1579. per Christophorum Plantinum; ubi ex Privilegijs, Epistolis & Censuris in fine & principio appositis, de certis priorum editionum temporibus, expressè edocetur. Cum autem Author operis tunc octogenarius, (quod de se profitetur) in Latinâ editione plura addiderit, immutaverit, limatiùs correxerit, verisimillimum judicetur, è Latino exemplari Authorem Responsionum & Conclusionū istarum omnia desumpsisse, quod tum demùm fieri oportuit post Annū 1573.

Papalem

Papalem Cathedram obtinente Gregorio 13. Et citata è Navarro testimonia, quotquot ego contuli, cum latino Manuali capitibus numerisqúe omninò consentiunt. Utcunqúe tamen isthæc ad Pij Quinti fortassis non pertingant tempora; sub Gregorio 13. emissa fuisse ex eo constat, quòd antè annos duodecim ad illius manus hæc scripta pervenerint, cuius ex humanitate, mihi facta est legendi & transcribendi copia. Et tùm certè inter libros unius aut alterius Pontificij, in Romanam sedem devotissimi, & non indocti, in agro Southantoniensi deprehensa fuêre, cùm illic subitò venisset exploratum, è Justiciarijs Regijs quoad pacem unus, doctis alijs probisqúe comitantibus. Et ab illo tempore retinuit apud se vir ornatissimus ibi tùm presens, satis habens illorum placita sibijpsi detexisse; donec intellecto, in nostram De Mendacio materiam hæc aptissimè incidisse, suâ sponte mihi communicavit. Quòd autem apud nostros sacrificulos, Anglosqúe Transmarinos, hæc sanctissimæ sint authoritatis, neque à nostris conficta, sed ab illis accepta seriò; inde cuivis non cæcutienti patet, quòd per annos iam viginti ultimò elapsos, eorum omnes actiones, gestus, praxes cum istis convenire ad amussim reperiamus. Testes sunt tot fraudes, & evasiones perversæ, quas Examinis tempore, magistratibus ad id munus deputatis, hujusmodi homines toties obtruserunt. Quæ autem de Gerardo & Southwello retulimus, ità omni ex parte cum Thesibus istis quadrât, ut non ex alio, quàm isto hausta fuisse fonte, sit meridianâ luce clarius. Operæ precium igitur iudicavi post recentiorum

illorum duorum assertiones utcunqúe disquisitas, ulteriùs adhuc pergere, & abstrusas rationes, adeoqúe reconditas ventilare, quibus freti duo illi, reliquiq; socij talia ausi sint. In quibus, si ea solùm, quæ ad Mendacium, Mendacijq; genus summum Perjurium, attinent, explicuerim; neque (ut de Schismate, de Baptismo, de Missâ alijsqúe multis, quæ habentur multa, omnino prætercam) de reliquis, quæ simul cum ijs involvuntur, de Regimine, & authoritate Reginæ Serenissimæ & Invictissimæ, sed & Judicum illius; ut & Papæ etiam eâ in re insolentiâ, verba fecerim: partim illud fuit, quòd de Mendacio solo redarguendo, mihi scopus erat præfixus, & extra illos cancellos expatiari non oportebat; partim, quòd justis voluminibus, illius postulati (de principe è solio deturbandâ) arrogantia & jactantia Antichristiana, à nostratibus discussa demonstrataque fuerit. Quia tamen Christianus intelliget orbis, quæ sint illa, quæ murmure auriculari, suis sectatoribus insusurrant Anglo-Romanenses, proponam verbatim ea, quæ in præsenti negotio ex chartis deprehensis occurrunt, ut, quàm miserè turpiterqúe à genuinâ Euangelij doctrinâ, & receptâ apud omnes Christi martyres sententiâ, hi Antichristi testes deflexerint, quilibet hominum intelligat. In Quæstionibus ergo pertinentibus ad Tribunal Judicis, hęc est secunda: *Quomodo sit respondendum in Tribunali hæreticorũ?* Responsio. *Optimè respondet is, qui non erubescit non solùm ea, quæ sunt fidei, sed etiam ea, quæ sunt facti; quia in illis est exaltatio fidei, & in his gloria Dei: qui igitur propter hanc suam confessionem occisus est, verè*

vere est martyr. *Navar. cap.* 11. *num.* 40. Subditur immediatè: *Iuramentum exactum à Iudice non competente, non obligat, nisi secundum intentionem iurantis.* *Nav. cap.* 12. *num.* 8. *quales sunt omnes nunc in Angliâ* (incompetentes sc. judices) *in iurisdictione Ecclesiasticâ, quia currunt, & non mittuntur, Filij sine patre vel matre. Potest igitur Catholicus tractus coram hæreticis, vel recusare iuramentum, (quod est prudentius) vel sophisticè iurare, & sophisticè respondere, singulis suis interrogationibus, nisi inquantum interrogatur de fide. Ibidem. Nam tyrannicè interrogatus de fide debet respondere. D. Thom.* 2ª. 2æ. *Q.* 3. *art.* 2. *Qui iurat aliquid illicitum facere, cum animo faciendi, bis peccat. Nav. c.* 12. *num.* 12. *Interrogatus ergo de catholicis indicandis, & iuratus, si prætextu sui iuramenti nominat aliquos, bis peccat; quinetiam, si absque eo indicat aliquos, peccat mortaliter, quia auxilium fert in mortali peccato. Idem. c.* 11. *num.* 13. Quæstio nona hæc est: *Quomodo licitum est æquivocare vel nomina mutare?* Responsio. *Interrogati à summis Commissarijs Regijs, vel eorum apparitoribus, An sint sacerdotes, cum sint; vel alias, An sint Catholici; peccant mortaliter, si vel tacent, vel æquivocant; quia ab his interrogantur in odium religionis, in quo casu quilibet tenetur confiteri fidem suam. Marc.* 8. *Qui me &c. Et Luc.* 8. *Qui me erubuerit &c. Apparitores appello non solùm eos, qui illo officio funguntur, sed etiam quos paratos video, illos apprehendere ob odium religionis, quemadmodum ancillæ interrogantes D. Petrum, Luc.* 22. *An tales sint illi, qui sedent ad telonium in oppidis maritimis, dubito, qui non tam quærunt pro-*

moveri sectam hæreticam per suas apprehensiones Catholicorum, quàm impleri suas crumenas: qui igitur illis interrogantibus de eorum statu vel religione, ex simplicitate cordis vel tacent, vel æquivocant, non peccant, quià non tenentur confiteri, si ob aliud interrogentur, quàm ob odium religionis. Pater Robertus. 1.2.q.5.art.1.dub.2. vel ob odium religionis eos interrogare, non est magis probabile in illis, quàm ob aliam causam, nimirùm quòd quærunt eorum pecunias. Interrogati in viâ ab itinerantibus simul, aut in mensâ, à simul discumbentibus, vel de statu, vel de religione, possunt vel tacere, vel æquivocare, quià ipsi ex curiositate interrogant, & confessio fidei est affirmativũ præceptũ, quod non obligat, nisi pro tempore & loco. Et hîc nulla exit, vel utilitas proximi, vel honor Dei, aut saltẽ nullũ detrimentũ proximi, aut Dei, & sic non obligat præceptum. D. Tho. Prædicto loco. Sequuntur aliæ quæstiones tanquàm Extravagantes, quæ nũ ejusdem sint temporis, aut ejusdem personę determinationes, cujus sunt superiores, non intelligo. Suspicor tamen ejusdem non esse; quià nudè proponuntur solutiones, sine aliquâ confirmatione è Navarro aut aliis. Istis tamen in fine subjunguntur ea, de quibus Pontifex Pius 5. Annuit, vel Abnuit, (ut suprà) suum, pronunciavit. Quæstionum tamen una est: *An sacerdos possit, sicut vestes & habitũ mutat, ita & comam nutrire, & mutare nomẽ, &, si interrogaretur in portu, vel alibi aliquo nomine ab aliquibus, qui eũ habẽt suspectũ, an possit illud negare, scilicet, non esse suum nomen? simile est dubium de patriâ, parẽtibus, amicis &c. Cũ interrogatus fuerit extra iudiciũ in itinere.* Respõsio: *Potest: nec videtur in hoc ca-*

su dubium: potest enim quis veritatem tacere, vel dissimulare, modò directè eam non neget. Et posteà: *An sacerdos interrogatus in viâ de locis, à quibus venerit, item de religione suâ, An faveat fidei Romanæ necnè, posset aliquo responso indirecto, effugere & deludere interrogationem, vel, an teneatur confiteri veritatem?* Responsio. *Potest aliquis deludere.* Tùm post multa, quatuor coniunctim sequuntur quæstiones: *An liceat Catholico recusare iuramentum, à magistratibus hæreticis ad damnum sui ipsius, & aliorum Catholicorum propositum?* Responsio: *Imò tenetur recusare, et subterfugere, quantū potest.* Sed, *An tenetur iuramentum huiusmodi recusare usque ad torturam?* Responsio. *Si ex iuramento huiusmodi damnum notabile fidei, aut religionis sequeretur, tortura potiùs subeunda esset.* Tùm: *Quantum ijs revelare tenetur per iuramentum requisitus?* Respondeo, *quia iniuriâ extortum est iuramentum, & hi magistratus incompetentes sunt Iudices, nil revelare tenetur, quatenùs absque mendacio & falsitate subterfugere potest.* At, *Si temerè & inconsideratè hæreticis iuramentum dederit, se velle ad omnia interrogata syncerè respondere; illi verò interrogant posteà, de multis, quæ, si revelentur, tendunt in gravissimum Catholicorum dānum, & præiudicium: Quid in hâc causâ faciendum?* Respondeo: *peccavit ità iurando, & iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, & propterea non tenetur ità respondere, sicut superiùs dictum est.* Post unam & alteram interrogationem, de Reginâ (post Bullam Pij Quinti editā) obediendâ, vel non obediendâ, sequitur ista quęstio: *Orthodoxus Catholicæ Ecclesiæ sacerdos, ab hæreti-*

cis comprehensus, ad tribunal Iudicis sistitur, qui ab eo iusiurandum exigit, quo astringitur ad respondendum bonâ & verâ fide, omnibus, quæ illi proponuntur, quæstionibus: interrogatur fortè quoties Missam celebravit, quo in loco, & quibus præsentibus &c. Hic si vere, &, ut se res habet, responderit, non est dubium, quin, propter grave, quod inde orietur, scãdalũ, ipse & alij maximis afficientur damnis. Quæritur, an rebus ita stantibus, teneatur sacerdos, cum se, tùm alios prodere? Respondeo: non tenetur quia non est legitimum iudicium. Neque iurantis intentio debet esse, nisi ad ea dicenda, quæ teneatur. Quòd si esset, dicendi omnia, esset iniqua intentio, quæ non obligat, quia esset in præiudicium aliorum, qui damnum patientur. Non debet tamen mendacium dicere, sed id quod in aliquo sensu est verum, etiamsi non sit in sensu interrogantis, quia ad eius intentionem non tenetur respondere. Hæc autem quæ dixi intelligo, si absit scandalum pusillis; id enim vitare debet, nec ulla danda occasio infirmis peccandi, præsertim in re fidei: potiùs ponenda vita, si necessarium fuerit ad illius salutem. Tum postea: Hoc tẽpus et occasio aptissima videtur, ad confitendum Deum coram hominibus, ne Christus ipsum erubescat confiteri coram Patre: sed non tenetur seipsum, neque alios prodere, non requisitus: sed requisitus de se, consilium eßet dicere veritatem, & mori pro fide, si opus est: alios autem non potest revelare: sed quia iudex hæreticus vel schismaticus amittit omnẽ iurisdictionem, non tenetur. Interrogatus veritatem in iudicio, respondere debet, neque de se, neque de aliis, sed potest Amphibologicè vel Æquivocè respondendo,

spondendo, iniquitatem iudicis declarare. Hæc Latinè habentur ad verbum omnia. Cessent amplius mirari, qui vel ad clavũ, vel ad remum Reipub. Anglicanæ sedent, quid in causâ sit, quamobrem tam fraudulenter & sophisticè & captiosè à Româ Rhemisque redeuntes, post onus juramenti sese soleant gerere, cùm venenatum istud lac à primo in Seminaria introitu imbiberint, suxerintque. Non potest fons amarus emittere aquas dulces; ut nec ex tribulis uvæ, nec à sentibus ficus colliguntur. Utinam aliquando tandem Romanis philtris & incantationibus pellecti Angli nostri sapere inciperent, & venena evomentes, priusquàm in immedicabilẽ sui corruptelam transierint, intra patriæ suę spatia, amœna, salutaria, cœlestibus exundantia fluentis, se continerent: aut, si vellẽt eousque delirare, ut hostilibus vocati sibilis, in obsequium Pontificium, velint nolint omnes boni, jurare consentirent, in Angliam saltem sub specie ovili, cum lupi sint, redire nollent: aut, si sit redeundum, iniquitatem mendacio, perduellionem perjurio cumulare non procederent, sed extra impietatis prodigiosæ ripas se longissimè custodirent. Satis sit huc usq; præter viã cucurrisse. Veritatis, ejusq; simplicis & incõtaminatæ, Jehova Deus est. Vehemẽter autẽ illum irritant, qui mendacijs & perjurijs, quocunque demum colore fucatis, conatus suos stabilire concupiscunt. Si bona sint, quæ aggrediuntur, bonis promoveant medijs. Si fides sit Christiana, quam disseminatam cupiunt, Christiano incedant passu. Rectissimè enim Job. cap. 13.7. *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo*

loquamini dolos? vel, ut alij habent: *An pro Deo forti loqui debetis iniquitatem, aut pro eo loqui debetis fraudem?* Et de istis hactenùs.

Cap. 2. De Baptismo disputatio, integram sacramento authoritatem & dignitatem suam (ut quod divinum est mysterium) custodiendam suadet: sine meticulosâ tamen trepidâque superstitione, quæ multis diffidentijs & suspicionibus conscientias replet, distrahitque animos, ex præscripto Dei verbo non credentium. Quòd si certa in Christum Deique promissa, fides collocetur, quæ infantulorum salutem è pijs parentibus prognatorum creatoris misericordiæ è fœdere sperandæ commendabit; evanescet protinùs audaculorum hominum & muliercularum temeraria insolentia, profanas tam sacrato mysterio manus injicientium. Fabri fabrilia tractent: & in sanctiorem vocationis sacerdotalis selecti ordinem, quę ad suum peculiare officium pertinent, dispensent. Siń aliquando laici in primâ Ecclesiâ sacramentum dederint, operæpretium est advertere, num non illud permiserit antiquitas, vel largâ nimis & liberâ indulgētiâ, ut, cùm Eucharistiam infantulis porrexerint; vel saltem non in quibusvis illud laicis tolerando, sed talibus, qui præ excellentiâ donorum spiritus sancti, verbum, panemque vitæ frangere, prædicando & explanando, digni haberentur. Ubi tamen vel per istos, vel per alios è populo, signaculum seriò sobrieque impressum extiterit, non audeo repetendum esse pronunciare: verùm antiquæ & receptæ Ecclesiarum consuetudini multùm tribuo, earumque ità varijs in locis, orbisque plagis disseminatarum sententiæ

adhuc

adhuc acquiesco: animum tamen humillimè libentissimèque mutaturus, si quisquam (cujuscunque demùm ille sortis sit) è sacris eloquijs, rectaque ratione diversum edocuerit. Et multò maximas aliàs instituenti & informanti habebo gratias, ut Christi famulum veritatis studiosum decet. Reliqua de Baptismo, quæ moventur hodiè, dubia, in nostram de Tsippora disputationem non cadunt, ideoque sicco pede, ut oportet, prætermitto.

Astrologorum placita convulsurus, curiosam artem & Chaldaicam, tam insignem veræ Astronomiæ labem maculamque aspergentem, è Christianis Rebus publ. amotam cupio. Sapiendum est in omnibus: sed ad sobrietatem. Illud iuvenibus initiò persuasum aveo, quod nimia tandem experientia, seniores ijs in studijs exercitatos docet, frustrà scilicet in rebus tam inanibus, tempus, quod verè preciosum sapienti esse debet, teri. At majus hoc est, & quod illa vehementiùs fugienda esse docet, si ità inordinata, præposteraque sit opera, quæ isthic collocatur, ut non modò civili politicoque bono adversetur, sed & pietati cœlestique sapientiæ repugnet. Creaturis etenim sine regulâ salutari, sine authoritate solidâ, ea tribuere, quæ sibi reservāda summa Maiestas existimavit, suaque manu disponenda, est humanæ, & profanæ, & vanæ speculationis, non prudentiæ Christianæ. In syderum fabricâ, certisque potentijs, quæ extra controversiam reperiuntur, divinum, fas est, ut admiremur digitum, creatoris ut mirificam contemplemur gloriam: sed miserum est & perplexum nimis, ut ea solliciti scrutemur, quæ nusquàm sunt. Caveamus Cap. 3.

igitur ab imposturis fraudibúsq; eorũ, qui sub quovis genere lucrum captant, & sub verbis speciosis simplices inescant, ex alienâ credulitate sua commoda emũgentes. Cum Aruspicibus, Ariolis, Chiromanticis, alijsq; ejus farraginis, evanuit ferè hoc nugivendulum hominum genus; & sperandum est, undiquaqúe fulgente Evangelij lumine in minorem numerum quotidiè contractum iri.

Cap. 4. In exemplo Naamanis, receptam apud omnes sanioris cerebri & mentis, sententiam confirmo, idololatricos omnes cultus & ritus, sinceram fidem profitenti aversandos esse. Neq; metus etenim, nec spes, neque ulla carnalis & mundana affectio, apud pectus animosum, sobriâqúe præditum constantiâ, ità valere debet, ut, vel cum consensu, vel cum consensus specie, turpissimæ liturgiæ, non modò nostrâ opinione, sed & scripturarum eloquijs damnatæ, intersimus. Si Jehova Deus sit, post ipsum eamus, sin Baal sit Dominus, eundem sequamur. Vanæ tamen sunt exceptiones Anglo-Romanensiũ, per quas, ex non concessis, communibus omnium sectarum argumentis, & frivolis petitionibus principij, ut appellant Dialectici, meretriculam Babyloniam depereuntibus persuasum cupiunt, liturgiꝫ Anglicanæ Ecclesiæ non communicandum. Ipsi etenim idololatricum apud nos comperiunt nihil, verùm omnia, pietatẽ non fictã, confessionem peccatorũ, gratiarũ actionẽ, divinæ iræ deprecationẽ, institutionem rudiorum, corroborationẽ infirmorum, ædificationem omnium redolentia, ità ut isthîc renuere vel tergiversari, sit vel pervicaciæ, vel ignorantiæ, vel præcipitis opinionis potiùs, quàm conscien-

conſcientiæ ſuper petrâ aliquâ ſolidiore fundatę. Utinam tandem aliquando populares noſtri, ab amatorijs Romanæ ſynagogæ poculis experge facti, & oculos aperirent jam diù occluſos, & cum ingenuâ grataquę divinæ miſerecordiæ agnitione, in luce Evangelij copioſe diffuſâ ambularent. Dulcis eſſet guſtantibus lex Dei ſupra mel, & ultra favum deſideranda. Dum tamen, & nobis cauſam eſſe, cur à Babylone ſecedamus, & illis, quamobrem cum inſigni & ſincerâ gratulatione ad nos feſtinantiùs accederent, demonſtrem; omnigenam præſentiam in templo idolorum, interdictam non cenſeo. Politica ubi ſolùm obeuntur munia, & cum proteſtatione aut generali, aut tunc temporis, ubi in diſcrimẽ res venerit, ſpeciali, ne ſcandalum errorvé in alijs infirmioribus fiat, in crimen læſæ divinæ Majeſtatis non incurritur. Debitæ tamen circumſtantiæ ſanctiſſimè & prudẽtiſſimè retinendæ ſunt, ut, dum corpori, & civili apud homines dignitati cõſulatur, animæ vel alienæ, vel noſtræ periculum ſpontaneum non creetur. Qui minores loco ſunt, ſuperiorum veſtigijs inſiſtunt libentiſſimè.

Fugam in perſecutione, intra illos conſtringo cãcellos, quos, puto, tanquam limites terminoſquę poſuit & circumſcripſit ſalvator Chriſtus. Privato igitur homini diſcedendi licentiam, (ut olim Tertullianus) non eripio, neq; etiam miniſtro gregis ubiq;, ut nec ei ſemper concedo. Perſonarum temporũq; & locorum, quæ occurrunt, circumſtantię, ut in alijs Theologorum, ſed & medicorum, & Juriſperitorum negotijs, ità in præſenti cauſâ, ipſam concluſionis ſubſtantiam immutare conſueverũt. De fugâ, Cap. 5.

in peste non dispar est judicium: tùm manendũ esse pastori, pro alienis animabus rationem reddituro, cũ divertendi discedendiqúe copia, privato, cui media suppeditavit Deus, facillimè annuatur.

Cap. 6. Sexto capite calumniam Ecclesijs Reformatis injectam & intentatam eluendo amovere desidero. Gravis sanè est querela, Protestantium doctrinam, supremũ illud augustissimumqúe Numẽ, sanctissimum, purissimum, inviolatum undiqúe, blasphemâ peccati fovendi maculâ aspergere. At levior est ista, & tolerabilior nostrâ ex parte accusatio, quià virulentiæ malitiosæ plus, quàm solidæ veritatis in se complectitur. Nos è contrà laude dignum, acutissimum nostrorum hâc in re judicium existimamus, qui in ipsa controversiæ penetralia descenderunt, obscurissimas ejus difficultates rimati; neque tamen ab Ariadnæo scripturarum filo, in Labyrintho tam ambiguo perplexoqúe discedentes, neque omnium creatori, suam gloriam vel tantillùm minuentes. Quin potiùs mirum in modum divinam & sapientiam & innocentiam prędicant, humanoqúe generi contemplandam commendant; dum omnibus impijssimorum actionibus & interesse & præesse doceant, ità tamen, ut cum obliquâ reproborum malitiâ nihil habeat cõmercij, neque asperginem ullam immunditiæ contrahat. Debuisset habere gratias Ecclesijs Reformatis Romana synagoga, quòd magnâ cum industriâ, & sincero acumine, post offusas hâc in re à Scholasticis tenebras, tanquàm è postliminio illud revocârint, quod ità apertè sacratę docent literę, et præ aliis patrum, Augustinus quàm sæpissimè, non

obscurè insinuavit. Sin grati saltem esse Jesuitæ recusarent, à calumniâ tamen linguas pennasqúe cohiberent, neq; apertos etiam inimicorum sermones, ità perverterent & contorquerent, ut quidlibet è quolibet proferre & facere viderentur. Obscuritatis autem si quid fuerat in scriptis aliquorũ Christi famulorum, brevi explicatione amovere aut aperire studui, ut apud omnes constaret, quàm sanctum illud sit & solidum, quod tuemur.

Hæc omnia fido cum animo, et Ecclesiæ Christi prodesse desiderante, pro meâ tenuitate exaravi. Si alicubi subrepserit error, qui humanam fragilitatem in tabernaculo hoc morantem comitari consuevit; ejus omne judicium spiritibus prophetarum, et Censurę Ecclesię, præsertim Anglicanę (cuius eximiè per quadraginta annos florentis, sub beatissimâ & invictissimâ Reginâ, me membrum pusillum esse, apprimè lætor) submitto & subjicio. Sin vel minimis salvatoris Christi famulis, ex tenui hâc opellâ, tantillum boni accreverit, me aliquâ ex parte officio meo functum existimabo. Et cùm vires addiderit, otiumqúe suppeditaverit benignissimus cœlestis pater, enitar assiduè, ut cum acceptiore aliquo don ario ad altare accedam. Animo interim benevolo hæc rudiore stilo conscripta, & non elaborato (fucus etenim à scholis Theologorũ longissimè abesse debet) suscipe Christiane lector, & fruere, Vale.

Genes. 27. 6. Rebecca alloquuta est Iacobum filiũ suũ dicendo: ecce audivi patrem tuum, loquentem cum Esauo fratre tuo, dicendo;

7. *Affer mihi venationẽ, & para mihi cupedias quas comedã: pòst, benedicã tibi corã Iehova, priusquàm moriar.*

8. *Nunc itaque fili mi, ausculta voci meæ: rei quam ego præcipio tibi:* Et quæ sequuntur.

1. Rei propositio. 4. Mendacij Rebeccæ rationes: 5. Eversæ & solutæ: 7. Aliorum mendaciorum examinatio. 8. Mendaciorum divisio. 10. 11. pro Mendacijs objectiones & responsiones. 12. 13. Nova evadendi via. 14. Ejus firmamenta. 15. 16. discussa. 17. quòd ad priorem referri debeat originem. 18. 19. 20. 22. Eorundem refutatio: 23. è Navarro. 24. 25. 26. 27. pro alijs Mendacijs objectiones & solutiones.

ETERNA Dei electio, & decretum ante omnia secula, ut in singulis filiorum Adæ, locum habuit & habebit, ità in nullis illustriùs & luculentiùs, quàm in geminâ Isaaci prole, Esauo & Jacob. De quibus multa sacræ pronunciârunt literæ, ut ad Romanos nono: [a] *Iacob dilexi, Esaum* [a] Rom. 9. 13.

 verò

[b] Malac. 1. 2. 3. *verò odio habui*. Malachiæ primo: [b] *Nonnè frater fuit Esau Iacobo: Esauum verò odio habui: ideò disposui montes eius desolationi, & possessionem eius draconibus deserti*: Sed nullibi expressiùs aut dilucidiùs, quàm, ubi prima ipsorũ mentio facta est, ubi de concertantibus in utero infantulis, cùm mater divinum consuluisset oraculum, responsum tulit, [c] Genes. 25. 23. [c] Duas esse in ejus utero nationes, duos intra viscera dividi populos, quorum alter altero robustior futurus esset, & sic, ut major natu serviret minori. Cujus rei veritas ex multorum seculorum experimentis edocta est; dum in [d] Edomitas Israëlitæ dominium nonnunquàm exercerent, dum sterilior Esauitarum esset habitatio & injucundior, Israëlis fertilior & locupletior: multò tamen maximè, dum istis spirituales divitiæ, per sanctissimum Dei cultũ puramq; religionem abundè suppeterent, illis verò contaminatæ magis, conspurcatæq; ceremoniæ, per impietatem, ἀσέβειαν, & superstitionem quotidiè increbrescerent.

[d] 2. Sam. 8. 14. 2. Chron. 25. 11.

2 Hæc ipsa cùm suis futura temporibus, pia prudensq; satis fœmina Rebecca, fidei oculis prospexisset & prævidisset, feliciorem beatioremque secuta partem, ut mundus solet, juniori filio, animum affectũque suum cœpit apponere; quibus poterat conata modis, teneriorem corpore, molliorem mente, evehere & promovere. Et cùm in ipsis, quę ad illud facerent, instillandis & suggerendis, non minimam, uti verisimile est, collocâsset operam, oleum sanè non perdidit, neque lusit inutiliter, sed idoneum satis filium, qui præcepta imbiberet sua, reperit. [e] Nam cùm fratrem à venatu redeuntem,

[e] Genes. 25. 29.

Jacob

Iacob deprehendisset, rabidâ ferè, & caninâ periturum fame, ut non posset impastus esuriē ampliùs tolerare; ità callidè astutéque pactus est, ut esculentis, imò jusculentis, dignitatem inter fratres summam, primogenituram scilicet, commutaret. Sic fraterno quasi jugo collum Esauus subdidit, spontaneam propemodum amplexus servitutem. Ubi verò, licèt suo fortassis, materno tamen adhuc non satisfecisset animo, (certissimis etenim & non fallentibus indicijs, rem omnem cupit fœmina consummare) alia oblata est occasio, quam avidè satis mater arripuit. Isaacus modò præ senectute cæcutiens, ferinam degustare cupit, ut majori filio, quum eam adduceret, priusquàm debitum Deo & naturæ, expirando, persolueret, paternam benedictionem impertiret. Quæ cùm eò esset desiderabilior, quò acceptiore apud Deum loco, Isaacus fuisset, vir pius, Patriarcha, Abrahæ soboles, familiæ princeps, in quâ fermè unicâ, Ecclesia, & sanctorum synagoga resideret; non omittendum duxit mulier, quin piâ, ut videbatur, fraude, ab Esauo in Jacobum transferendam curaret. Supposititium igitur immisit hominem, vestitum fraternis tegumentis, hirsutum, hispidumqúe arte factum, qui delicatiores afferēdo cibos, furto veluti & insidijs, benedictionem præriperet. Neque expectationi eventus defuit, sed, quod animo concupivit, præmium, honorariumqúe tulit.

3 Narratio historiæ cuilibet è nobis ità nota est, ut in ipsâ explicandâ desudare non sit opus. Est mei potiùs instituti disquirere, num

ex normâ pietatis, officijque regulâ, Rebecca fecerit; quæ maritum suo sic consilio deluserit, & mendacio insidioso, sui voti compos facta fuerit: eoque indagare nomine, num in causâ aliquâ, sive sub probitatis & charitatis specie, sive sub religionis prætextu mentiri liceat. Ubi danda mihi venia est, si nudam rerum veritatem persequar, & facta eorum, qui in causâ isthâc celebres extiterint, ad stateram simplicem divini verbi exigam, nec errorem elevare, aut extenuare concupiscam. Id quod eâ de causâ submonendum censui, quandoquidem ex Antiquis non infimus, quin potiùs, meâ sententiâ, longè maximus [f] Augustinus, sub figuris & mysterijs, futurum aliquid prænotantibus, quorundam mendacia aliquatenùs excusare conetur. Qui quidem Troporum & Allegoriarum modus, est aliquantò Augustino familiarior; sed in Psalmis [g] Davidicis explanandis præcipuè, ubi Salvatori Christo penè omnia in tropo referenda existimavit. Sed & in cæteris suis scriptis hanc consuetudinem liberaliùs & indulgentiùs amplectitur; licèt eò usque non expatietur, quò usque Origenes, qui, cùm omnia ferè Allegoricôs interpretanda credidit, ipsam literam destruere, sensumque simplicem historiæ enervare, & delumbare ausus est, eo certè conatu, qui tantum alioqui virum non decebat. Ad rem ipsam igitur ut veniamus.

[f] Augustinus contra Mendacium. ca. 10.

[g] Augustin. in Psalmos ferè ubique.

4 Erant certè rationes prætextu speciosæ, quæ Rebeccam impellerent ad hanc paciscendam fraudem. Maternæ dilectionis viscera, non mediocriter incitabant: sed divina promissio speciatim & præcisè juniori facta, multò confidentiorem poterat

rat

rat animum addere. Quin & mariti in fratrem στοργὴ, & naturalis propensio, quâ in Esauum longè factus est proclivior, terrere valuisset, ne apertè ageret. Orationem insuper, precesq; patriarchæ, ità Deo chari, divina benedictio prosequeretur: quantum etenim omnipotens Jehova famulorum suorum fidelibus desiderijs solet tribuere? Et humano animo incredibile, planeque impossibile videbatur, paternum ab Esauo avocare affectum, quo, delirante ferè impetu, & indulgente nimis, in ipsum ferebatur, ità ut ad dolum technasque confugere necesse haberet. Leoninæ exuviæ vulpinâ pelle commutandæ fuerant. Sed & ab ore Isaaci benedictionem impertientis, vel isti, vel illi, si penderet momenti ponderisque aliquid, ad veram felicitatem, capiendum id erat brevi, & aucupanda occasio, ne subitâ pater præreptus morte, infecto, discederet negocio. Decrepitus namque jam degebat, & moribundus senex. Funiculo tam multiplici, promissionis in Deo, necessitatis in conjuge, amoris in filio, innixa est Rebecca, eoque prudenter & confidenter satis crevit audacia.

5 Sed ut adversus Solis radios glacies, in tumultuante Borea crassus vapor, præ meridianâ luce nocturnus horror, coram [h] arcâ Dei Philisthæorum Dagon, nequit consistere, ità animalis carnalisque hominis ratio, &, quæ aspectu gloriosa est, cavillantis cerebri imaginatio, si divini verbi stateræ appendatur, inanis futilisque invenitur. Justa etenim sanctaque habenda sunt, non, quæ corrupto obfuscatoque nostro perplacent judicio, sed quæ [h] 1. Sam. 5. 4.

 sana

ſana ſolidaque apud Dominum reperiuntur. Aliter enim ab externâ apparitione homo, aliter ab interno appetitu diſcernit Deus. Cujus ſi velimus indagare ſententiam, id primo, oportet, ut ſit loco receptiſſimum, quod ad Romanos recenſuit Paulus,

[i] Roman. 3. 8. [i] *Non faciendum eſſe malum, ut inde aliquid ſuccedat boni*. Deus ità ſevero perſequitur odio malitiam

[k] 1. Theſ. 5. 22. quamcunque, ut à [k] ſpecie nequitiæ omni, nos

[l] Iſay. 1. 16. juſſerit abſtinere. [l] Puras præcepit geſtare manus,

[m] Matth. 5. 8.

[n] 2. Cor. 6. 14. immaculatum[m] cor. [n] *Quid luci cum tenebris eſt commercij*? quid ſincero Deo cum ſordibus peccatorum? Ut à Babylone abeundum eſt, ità nil ejus immundum eſt tangendum. Hinc, quæ adverſus præceptum Domini facta ſunt, omnia, licèt ſub intentione bonâ, ut loquuntur ſcholaſtici, vel ſub propo-

[o] Coloſ. 2. 23. ſito boni, damnantur, & ut [o] ἐθελοθρησκεία, voluntarij cultus, de quibus pronuncietur, quis iſta de manibus requiſivit veſtris, repudiantur. Tale fuerat id

[p] Iudic. 8. 27. Gedeonis, qui [p] Ephod fecerat, ut per ipſum Deus coleretur; ſed, quoniã prȩter Domini inſtitutum hoc factũ fuerat, in perniciem illius ſuęq; familiæ ceſſe-

[q] 1. Sam. 15. 21. rat, Tale, illud [q] Saulis, qui Amalecitarũ pecora domũ duxerat, ut holocauſta ſacrificiaq; Domino offer ret: imprudenter tamen non minùs, quàm impiè, cũ Jehovæ potiùs voci auſcultandum eſſet. Tale, illud

[r] 2. Sam 6. 6. [r] Uzzæ, qui Arcã tetigit, ſollicito ſatis animo, ne fortaſſis rueret, ſed, quià audacter nimis, repentinâ inte-

[s] 1. Reg. 12. 32. rijt morte. Qui in [s] Dane & Bethele aras fabricârũt, licèt ſoli Deo ſacrificârint, & cũ ſacrificijs lege præſtitutis, inobedientiæ tamẽ, ſceleriſq; tenebantur rei, quià expreſſum Dei mandatũ, quod ad locũ attine-

[t] 1. Sam. 15. 22. ret, violârunt, qui [t] obſequium vult, non ſacrificium.

Quod

Quod debetur Deo servitium, intra limites cancellosque certos circumscribitur, ut nec ad [u] dextram, nec ad sinistram declinandum sit. Si alicubi, tùm in pietate, id poëtæ obtinet: [u] Deut. 28. 14.

[*] *Est modus in rebus: sunt certi deniq; fines,*
Quos ultra, citráq;, nequit consistere rectum. [*] Horat. Sermon. 1. Satyra. 1.

Quod in Oceano statutum dicit Iob, vel potiùs apud ipsum Deus, [x] *Hucusq; venies, & ne procedito, & hic opponet se littus, superbiæ fluctuum tuorum*, id in nostro Jehovæ præstando officio sanctissimum esse debet: Hucusque fas est tendere, sed non ultrà. Verecundiæ limites si transilieris, gnaviter fies impudens: pietatis finibus si excesseris, mirè fies improbus. Id igitur inconcussâ stabilitate consistat oportet, faciendum esse nil mali, ne quidem, si spes sit & expectatio futuri majoris boni. [y] *Ea, quæ constant esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione, facienda sunt.* Quod si illibatum & intemeratum non custodiamus, quæ omnigenæ nequitię ansa porrigitur? quàm lata ad scelus via sternitur, ut sub prætextu boni, homicidium, adulterium, perjurium, proditio in patriam, sacrilegiũ perpetretur? Quis etenim metas trãsilientibus, quas Deus statuit, modum aut mensurã præfiniet? Cujuslibet improbi affectus, sola sibi futura est habena, solum retinaculum. [x] Iob. 38. 11. [y] Augustin. contra Mendacium. cap. 7.

6 Secundò, extra omnem controversiam habẽdum est, interdicta esse Dei famulis mendacia, hócque simpliciter, & sine exceptione aliquâ. [z] *Ne efferto rumorẽ mendacij:* Et posteà: *A verbo mendacij procul abesto.* Sic: [a] *Ne mẽtimini, nec fallaciâ utimini, ullus in proximũ suum.* Et David: [b] *Loquens mendacia* [z] Exod. 23. 1. 7. [a] Levit. 19. 11. [b] Psal. 101. 7.

 non

non stabilietur coram oculis meis. Et Salomon: Deo
[c] Prov.6.19. odiosus est [c] *conflans mendacia testis falsus*. Sed &
[d] Ephes.4.25. Paulus: [d] *Deposito mendacio, loquimini veritatem*
[e] Colos.3.9. *quisque proximo suo*. Et rursum: [e] *Ne mentimini, alius adversus alium*. Denique, cùm Deus pater
[f] Iohan.8.44. sit veritatis, [f] mendacij autem primus author Dęmon; divino videtur, ad tempus, servitio renuntiare, qui mentitur, & in Satanæ castra transfugere, ejusqúe cultui se mancipare. Et generalia ista sunt, ità ut non legatur, hîc, aut illîc, per indulgentiam, dispensationem quasi aliquam concedi. Quibus jactis fundamentis, mentiri malum esse; & nolle, per mala, Deum, bona effici; humano reperitur lapsu delictoqùe Rebecca aberrasse, quę filium promissis blanditijsqúe suis ad fraudem aggrediendam pellexerat. Rea sanè apud Deum tenetur mulier, facinoris non admittendi. Quod ne durum fortassis videatur, non solo eo unicoqúe commenti falsitatisqúe vitio polluta est, sed & infidelitatem, incredulamqúe mentem sapere deprehenditur. Jam etenim in duas velut distracta, discerptaqúe partes, dubia mētis fertur, num pollicita vellet Deus pręstare sua, de Jacobo præferendo. Si fidelem credidisset Dominum; & ejus beneplacitum expectâsset, & medijs non nisi pijs usa fuisset. Deus etenim, cùm cuipiam se benè velle, præ se fert, & ea efficere potest, soletqúe, quæ ad finem destinatum via sunt. Operienda erat igitur, cum patientiâ, divina voluntas: non festinanter & inconsideratè, uti isthîc, præoccupandum & præveniendum creatoris institutum. Cavendum est igitur, ne illius exemplo ducti similia aggrediamur. Quæ etenim seipsâ non

poterat excusare, multò minùs nos tuebitur. Proponitur fugiendum nobis Rebeccæ mendacium, non imitandum. In Prophetis & Patriarchis, luminibusq; antiquorum temporum, non omnia, sed quæ decent, sunt amplectenda. Ut hirudo putrescenti inhæret sanguini, sic nævis & lapsibus fidelium immorandum non est; nisi & Noaci ebrietatē, & Lothi incestum, & Davidis cum adulterio homicidium, & Salomonis idololatriam, & Ieremiæ impatientiam, & Petri cum perjurio abnegationē, sequenda & imitanda cogitemus. Legibus vivendum est, non exemplis: Divinis regulis, & normis, non humanis personis, innitendum est. Vel cum Platone errandum non est. Amicissima præ omnibus debet esse veritas. Ubi benè est, vestigia premito: ubi malè, cautus aversare.

7 De reliquis Sanctorum mendacijs, simile ferendum est judicium. Cùm Abrahamus [g] Saram, sororem suam esse dixerat, æquivocatio vocis, ne mentiretur, effecit, ut existimare licet. Sub sororis etenim appellatione, ut & etiam sub fratris nomine, consanguinei Hebræis designabantur; quo sensu, aliqui, Domini fratres, hoc est, Christi, dicti sunt, [h] ut copiosè disputat Hieronymus. Et apertum est è scripturâ, propinquâ fuisse ei cognatione conjunctam Saram, cùm quodam modo sororem extitisse, [i] rursus & secundò asseveraret. Quæ si vera sint, nihil in sermone ejus falsi compertum est, adeoq; non peccavit. Sin mentiendi animo Abimelecho imponere per fraudem cuperet, infirmitatem humanam, nimiamquè res redolet timiditatem, neque poterit excusari. [k] Obstetricès Israëliticæ

[g] Gens. 20. 2.

[h] Hieronym. contra Helvidium.

[i] Genes. 20. 12.

[k] Exod. I. 19.

liticæ Ægyptiorum regem responso non vero circũvenerunt. Ità filij puerperarum Hebraicarum, in ipsâ nativitatis horâ non sunt interempti.[l] *Hebrææ,* inquiunt, *non sunt, sicut mulieres Ægyptiæ: sunt enim vividæ, quum nondum venit ad ipsas ulla obstetrix, iam pepererunt.* Idcircò (addit Moses) *benefecit Deus obstetricibus illis.* Ecce pij misericordisqúe doli præmium, quẽ non remunerâsset Deus, nisi approbâsset. At occurrit doctissimè Augustinus: Retributionẽ à Domino, obstretrices acceperunt, *nõ* [m] *quià mẽtitæ sunt, sed quià in homines Dei misericordes fuerunt.* Et de Rahab meretrice, eadẽ ferenda est censura, cui benè fuerat, quòd [n] exploratores Israëlitas texerit, divinæqúe voci crediderit, de tradendâ Josuæ Hierichunte, & terrâ Canaan, non quòd falsa pronuntiârit. Misereri solet Deus erratis suorum, cùm leviter deliquerint, & in rebus tamen momenti grandioris, sani solidiqúe perstiterint. Sed hoc ex divinâ contingit misericordiâ, nõ ex qualitate rei, quę, cùm ἀνομία sit, & ἀδικία; & ἁμαρτία sit oportet. Ignovit igitur Deus Rahab, & in gratiam accepit, ex eo docturus, se inter nationes perditas, aliquibus misericordiã impertire, non, ut mentiendi libidine ferremur, animum daturus. At reverâ quid est, quod in eâ fœminâ tunc amplectendum cogitaremus, cùm ad mediocrẽ Dei notitiam adhuc non pervenisset, sed elementis tantùm cultus Dei, & vix ipsis, initiata esset. Nõ erat mirũ barbaræ, Canaanitidi; meretrici, in mendacium prorũpere: sed de homine Christiano quærimus, in Christo instituto, robustiore cibo pasto, edocto ut oportet, non de homine ad Ægyptũ, aut Hierichũtem

[l] Exod. 1. 19.

[m] Augustin. contra mendacium. ca. 15.

[n] Iosua. 2. 6. 9.

tem, aut Babylonem pertinente. Et hanc igitur, et obstetrices missas faciamus, cum Augustino testātes; [o] *Bonum in ijs Deus memorabiliter honoravit, malum autem clementer ignoravit.*

[o] August. contra Mendacium cap. 17.

8 Sed quoniam in humanâ vitâ vsum hæc doctrina habet non mediocrē, (nihil etenim mendacio est facilius, nihil promptius, aut quod magis præstò sit) cumq; non defuerint ætate omni, aut desint, qui mēdacia aliqua propugnârint, ut [p] Priscillianistæ, qui satis esse duxerunt, si corde quis verū retinuerit, cùm labijs dolum proferat; & si peregrino, licèt non proximo, mentitus fuerit; in interiora adhuc hujus controversiæ penetralia irrūpendum est, ut veritas sartatecta conservetur, adeoq; omnis falsitatis species amoveatur. Mēdacium ergò, omnes, [q] *falsam esse significationem, cum voluntate fallendi*, consentiunt. Falsa esse debet significatio; & cum voluntate fallendi. Vnde, aliud reperitur mentiri, aliud mendacium dicere. Dicit etenim mēdacium, verax, cùm fabulæ, aut narrationi fictæ ipse fidem adhibens, alijs etiam seriò recenset: ubi nulla est decipiendi intentio. Fallendi est voluntas, quæ mentiri facit: ex quâ, cùm insidiator, incautus verum loquitur, quod tamen falsum esse arbitratur, mentiri non immeritò dicatur, animi mali causâ. Quoties igitur occurrunt ista, est mendacium. Sed [r] Scholastici, varia esse docent horum genera: Est etenim mendacium, perniciosum, est jocosum, est officiosum. Perniciosum tùm definiūt, cùm malâ mente cuipiam conamur inferre detrimentum, & falso ad id sermone, tanquā instrumēto utimur. In calūnijs & convicijs, in detractione, dis-

[p] August. contra Mendacium. cap. 2.

[q] Cap. 12.

[r] Lombard. Sent. Lib. 3. Dist. 38. Et super eo loco Scholastici omnes.

cordiam seminando, in perjurio exercendo, testimonioque ficto ferendo, istud, locum habet. Tale erat [s] Zibæ commentum contra Miphibosethum, [t] Hamanis adversus Judęos, [u] populi & Seniorũ cõtra Christum. Et in communi, ista non desunt, vitâ. Neque quisquam Theologorum diffitetur, ista apud Dominũ intolerãda esse. De his, inquiũt, id est pręceptum: [x] *Adversus proximum tuum, ne proferto testimonium falsum.* Et quæ suprà, contra mendacia, afferuntur loca, hæc indubitanter percellunt.

[s] 2. Sam. 16. 3.
[t] Esther. 3. 8.
[u] Matth. 26. 59
[x] Exod. 20. 16.

9 Ex secundo genere sunt, quæ jocosa appellantur: è quorum numero, ea inprimis secludenda censeo, quibus aliquantò remissiores, & indulgentiores sunt Theologi; talia scilicet, quæ sic pronunciantur, ut quivis intelligat, non seriò, sed joco tantùm dicta esse. *Ista*, inquit Augustinus, *per* [y] *proferendi modum, lusu quasi, & cum sale aliquo, apparent dicta, ideòque fallendi animum non habent.* Horum ego numero fabulas Æsopicas accenserem, quas, cuivis homini prudenti mediocriter, & intelligenti, primo oculi ictu satis apparet, de industriâ excogitari, ut doceant, non ut retibus illaqueent. Quibus eos, quos Apologos viri docti appellitant, adjiciendos existimo, quorum in sacris etiam literis usus est. Cujusmodi illud est [z] Jothami, qui exiisse refert arbores ad creandum regem, ubi olea, vitis, ficus, regiũ respuerunt officium, admisit cynosbatus, & quæ sequuntur. ubi, si ad nuda velimus verba, rem omnem exigere, quid subesse poterit veritatis? Sin & proferendi rationem, & loquentis propositum, & manifestam deniq; causam ipsam placebit perpendere, quæ non alio, quam διδαχῆς, exposita est, modo, in integro res omnis

[y] August. de Mendacio. cap. 2.
[z] Iudic. 9. 8.

futura est. Apertæ Ironiæ sub isto cadũt genere, ut illa [a] Eliæ, Baalis Prophetas ludificantis. Nathanis illa parabola, quâ [b] Davidem alloquitur, adeoque illę Christi tam variæ, ut [c] ubi agricolã seminatũ exijsse testatur, semenq; quadrifariàm cecidisse, huic attexendæ sunt Catalogo: quæ, cùm afferantur, ut docerent, demonstrarent, redarguerent, cõsolarentur, cęteraq; pietatis præstarent munia, neq; ullo alio proposito, non mentiendi, non circumveniendi, non fallendi voluntate, pro malis aut mendacijs habenda nõ sunt. Et absit, ut blasphemo cujusquam ore mendacia nominentur. Nudis etenim vocibus & simplicibus tribuẽda nõ est appellatio, sed sensui, & significato, & scopo apud mentem pręfixo. Neq; tamẽ (ut ad rem redeamus) sub horum bonorum tegmine, jocosa excusamus mendacia, ea nempe leviculorum hominũ commenta, quæ ineptè, aut scurriliter, aut ex usu solo, & consuetudine quâdam mentiendi pronunciantur. Ut si quis suam prędicaturus fortitudinẽ, pugnas cũ latronibus ignotis in viâ, referat, aut hujusmodi alia, quibus enarrandis mirum in modum aliqui delectantur. Et horũ sermonũ consuetudo nõ est bona. Licèt etenim malitioso non efferantur proposito, ut cuiquã noceant, licèt cum joco etiã, & subsannante ludibrio audiantur; quià tamen fallendi recenseantur animo, ut in credulitatẽ impellant: quià veritati adversantur, quâ nihil Deo potest esse acceptius, quià [d] *perditurus est Deus loquentes mendacium*, etiã, omnes perdet, qui loquuntur mẽdacium; ex usu Christianorum ista etiam sunt exterminanda.

[a] 1. Reg. 18. 27.
[b] 2. Sam. 12. 1.
[c] Matth. 13. 3.
[d] Psal. 5. 7.

10 Tertium genus, multò difficilius, ut quibusdã videtur, requirit judicium; hoc est, officiosum: quo

significatum id volunt, cùm amicitię, aut charitatis, aut utilitatis aliquod officium præstandum sit, idq; vel sibi, vel alij. quod nonnunquam sic contingit, ut nulli damnum inferendum sit, bonum tamẽ nonnullis exinde oriatur. Istud etiam & misericors nuncupetur, quoniam ex eo misericordia, aut vitæ, aut incolumitati suæ, vel alienæ exhibetur. Hujusmodi, cùm in communi vitâ, sub infinitis soleant occurrere speciebus, proponam aliquot, dilucidtatis gratiâ, in quibus tamen singulis concludendum est, ab eis omnibus fugiendum esse: aut cum Siracida

[e] Siracid. 7. 13.

[e] *Ne velis mentiri, ullo mendacio, nam assiduitas ejus non est futura bono*. Rationem ex Johanne assignamus: omnis fidelis Deo conjunctus esse debet: sed mendacium omne à Deo est disiunctissimum; [f] *nullum* etenim *mendacium ex veritate est*. Et in Apocalypsi: [g] *Omnibus mendacibus portio assignata est; in stagno ardẽte igne, & sulphure, quod est mors secunda*. Et posteà: [h] *Non intrabit* in novam civitatem, *quicquam, quod mendacia loquitur*. Sed instantias adhibemus: Pium erat obstetricum factum, de quo suprà: pium satis illud Rahab, quo speculatores abscondidit. Utræque interrogatę, si verum fassę fuissent, certâ occidione interijssent. Quantò igitur faciliùs, fingendo, & comminiscendo aliquid, è periculo elabẽdum fuerat, quam certæ occumbendũ morti? At respondet [i] Augustinus, quo nemo exactiùs, aut exquisitiùs ista explicavit. Si vitam pro Deo, & justitiâ, & sanctitate, tẽporalẽ amisisset; at æternã in cœlis possedisset. Felix est cõmutatio, ubi vallis hæc miseriarũ deseritur, & cœlestis perpetuaq; gloria acquiritur. Abnegãdi sunt [k] parẽtes, fortunę, patria, vita denìq; ipsa

[f] 1. Ioh. 2. 21.

[g] Apoc. 21. 8.

[h] Cap. 21. 27.

[i] Augustin. contra Mendacium. ca. 17.

[k] Luc. 14. 26.

ipſa derelinquēda eſt pro Chriſto. Si pro Chriſto, & pro veritatis defenſione, & propagatione pietatis. Quibus equidem veſtigijs, omnes ſacri martyres inſtitêre, quorum plurimi leviſſimâ abnegatione, aut declinatione, aut extenuatione, à morte evaſiſſent, ſi mendacio vitam redimendam credidiſſent.

11 [l] At qui in meo fortaſſis ſanguine, ſatis ſim futurus prodigus, in alieno non item. Transfugit ad me frater Chriſtianus, &, ut à perſequentis abſconderem gladio, flagitat. Conſanguinitas, Chriſtiana ſympathia, periculū imminens, miſericordia, expetunt, ut tyranno ſupplicē hunc meum non proderē. Quid ſi idcircò, me non vidiſſe, affirmarē, ut ſic quærentē, & inveſtigantem aliò tranſmitterē. Ità fratrē ab interitu vindicabo, & malitioſum hominē à ſcelere retinebo, & coërcebo; qui homicidij, quod non poterat perpetrare, non erit reus. [m] Quin vide, ne, dum alium tuebere, teipſum perdas. Vrget charitas, ut primo te loco reſpiceres, tui curam ageres. Charitas etenim incipit à ſeipſa. Et, quę perfectiſſimam exigit obedientiam, lex, jubet, [n] proximū nō alias, quàm ut teipſū, diligere. cur igitur te deſtrues, ut aliū extruas? Imò, cur animā peſſundas tuā, ut alienā carnē cuſtodias? [o] *Os etenim, quod mētitur, occidit animā.* Et [p] *perverſiſſimè ergò dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterū ſpiritualiter mori.* Ejus potius exemplū imitare, quē nominavidē Auguſtinus, cujus in re iſthac toties ſermonē uſurpo. [q] Erat, inquit, quidā Epiſcopus, Firm[a] nomine, firmior volūtate, qui, cū ab ipſo quæreretur, ubi eſſet quidā, quē ipſe à perſecutoribus occultavit, apparitoribus Imperatorijs reſpōdit, ſe neq; mentiri poſſe, nec hominem prodere. Et

[l] Obiectio.

[m] Reſponſio.

[n] Matth. 22. 39.

[o] Sapient. 1. 11.

[p] Auguſt. de Mendacio. cap. 6.

[q] Cap. 13.

ne è duobus alterum faceret, tormenta multa perpessus est. Quid hoc dici potest fortius, aut honestius? quid cum Christianâ constantiâ conjunctius? Hîc patientiam, & amorem exerce tuum, non trepidè fingendo, aut veteratoriè mentiendo. Ubi etenim falsa loquendo, metas honesti transcenderis, ecce patet ad delicta majora, porta: quid ni etenim, qui, ut diceres, impulit, ut jurares etiam, moveret? Si, ut falsa diceres, consensisti, ut & falsa jures, itidem facilè consentias. Nam ut argutè Tullius, pro Roscio Comædo:[r] *Quem, ut mētiatur, inducere possum, ut peieret, exorare facilè potero*. Verè quidem, nam instat tyrannus, ut, quod dixeris, juramento confirmes. Si annuas, perjurus evadis: si renuas, te suspectum vehementer facis. Principijs ergò obsta, à mendacio penitus resiliendo.

[r] Tullius Oratione pro Roscio Comædo.

12 Quò miseriora & deflenda magis, sunt illa tempora, in quæ incidimus; dum hodiè tanquam in arcanis Romanæ synagogæ habeatur illud, imò clandestinis in susurrationibus doceatur, fas esse, non modò homini simpliciter dicenti, sed & jurato, in aliquibus negotijs, à veritate deflectere & deviare. Ut Africa, sic Italia, semper aliquid apportat novi, & monstri. Dico monstrum, quod à nativâ, & genuinâ Christianæ professionis sinceritate, tàm stupendum in modum degeneravit. Dico novũ, quod prioribus est inauditũ seculis, apud viros Orthodoxos. Et meritò novitatis (si quid aliud apud illos) taxari poterit, quod emersit nupertimè, & in apricum vix prodivit, usquedùm in herbâ delitescens. Nemo etenim illorum tam profano & polluto, aut animo, aut ore repertus est, qui scribendo

 bendo

bendo illud ausus est, in apertum Solis conspectum emittere, quod secreto tamen murmure prodiderunt, unctorum Pontificiorum unus & alter. Cùm daturos tamen posthàc sperandum sit, non incommodũ judicavi, ex factis dictisque submonere, quod futurum augurari licet; quandoquidem opportunitas ità tempestiva, Mendaciorum species indagati, impræsentiarum offeratur. A temporibus Gregorij decimi tertij Romani Pontificis, quæ Romæ Rhemisque eriguntur Anglicana Seminaria, nostrates (cùm è Britanniâ discederent) aut fraude illectos, aut vanâ spe irretitos, aut infamiâ notatos, aut suo male-cõtẽtos statu, apud illos in Sacrificorum cooptatos numerum, in Angliam ferè quotãnis remittunt, ut sub specie docendi, instituendi, cõsolandi, absolvẽdi, recõciliãdi, aliaq; ut appellãt, religionis munia exercendi, incautos, insciosq; homines, præsertim fœminas, & adolescentes, à verâ in sanctissimam Principem obedientiâ diverterent, & in Pontificium, aut si opus est, Hispanicum obsequium allicerent & advocarent. Huic veneno remedium, & Antidotum afferre, cùm pro officij secundum Deum ratione cuperent, Illustrissima Regina, Senatus, regnique Ordines, severo interdicendum [f] Edicto censuerunt, ut, qui Seminaria locaque vetita adeundo, patriæ non modo desertores, ut transfugæ, verùm proditores, ut hostes conjurati, facti fuissent, in transmarinis ad libitum cõsiderent partibus, sed in ditionem Anglicanam pedem ne efferrent, nisi vellent, ut perduelles, & læsæ Majestatis rei, ultimum subire supplicium. Suâ plurimũ interesse Magistratus crediderunt, à grege

[f] Anno Elizabethæ 27. c. 2.

vulpes, ab ovili lupos abigere, & deterrere; cùm pastoribus apud summū Deum & [t] Ἀρχιποίμενα Christum, suæ fidei commissorum ratio tam accurata reddenda sit. Sed &, quò salutari quâcunquè viâ, perniciosis istorum conatibus obviàm iretur, sub capitis periculo prohibuerunt, ne quisquam huic pesti subrepenti auxilium afferret, aut suppetias ullo modo, pascendo, excipiendo, pecuniam impertiendo: imò, neq; tegeret aut celaret, sub carceris discrimine, mulctęquè pecuniarię, prout Principi visum foret. Quo sagaci consilio, & justitiæ executione, postquàm ipsorum nonnulli, quas satis meruerunt, luissent pœnas: qui secuti sunt, antecessoribus prudētiores facti, (ut semper est deterior posterior dies) salutiferū, uti censent, excogitārūt remedium, cujus seriem libet subdere, ut, cum quali hominum genere nobis sit negotium, & pręsens ætas & posteritas sciat.

[t] 1. Petr. 5.4.

13 Cùm non ità pridem in Anglicana appulisset littora, Southwellus Sacerdos, nihil sibi fore tutius existimavit (ut ex effectu constat) quàm omnes, quibus apud suæ factionis homines lateret, indagare vias. Ocurrebat nulla facilior, aut expeditior, quàm illorum, apud quos degebat, animis suggerēdo instillare; ut, si coram Magistratibus in quæstionem vocarentur, ibiquè peteretur, num Southwellum conspexissent, negarent se vidisse, etiam licèt juramento priùs præstito, se vera dicturos contestarentur, & præter vera, nihil. Hoc, (quod, ut veri est simillimum, pluribus persuasum extitit) in aperto judicio, frequentiquè curiâ, quædam fœmina fassa est; quæ ab uno Judicum post

adhibitum juramentum interrogata, num in domo Bellamęi Southwellus fuisset, respondit, se ab eodē Southwello, longiore sermone inductam fuisse; ut jurata affirmaret, se illum in iisdem ędibus non cōspexisse: licèt, reverà isthàc illū vidisset multoties; quod tamen tanquàm abditum, aut abstrusum aliquod, apud suum celaret animum. Hoc cùm ægrè crederent auditores; tàm latam & mendacio, & perjurio viam muniri, à quopiam mortalium, pietatē vel specie tenus prę se ferente; cum ratione & officio nihil tandē cōjunctius esse putaverūt, quàm ipsū talis dogmatis authorē consulere, ut pro se respōderet. Quod, cùm palàm, & apertè factū fuisset, non erubuit Southwellus, audacter confiteri, se talia docuisse. Et, ut suam sententiā testatam magis faceret, ulteriorem sui dogmatis defensionem suscepit, ex celebri illo Jeremiæ loco,[a] *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Unde conclusum voluit, datam fidem apud Judices de Sacrificis detegendis, pro juramēto habendam non esse; quasi tale examen, quęstioq; habita, nec judicij, nec justitiæ fuisset. Salubre mehercle cōsilium, præ quo in Antiquis Martyribus, prudētiā non possumus non desiderare, qui tam solerti, acutoquę commēto, se diris cruciatibus non subduxerūt. Verùm, ne unius unica, & singularis sentētia isthæc videatur, è quâ generalius judicium faciendum non est, secundum audite, cujus fortassis eò celebrius futurum est testimonium, quò altiore & illustriore Jesuitæ titulo insigniatur.

[a] Ierem. 4. 2.

14 Johannes Gerardus Jesuita, in Arcis Londinensis tùm habitus custodiâ,[x] cùm per viros tùm

[x] Maii. 13. 1597.

prudentiâ, tùm authoritate conspicuos, de Southwelli placito edoceretur, rogatus est seriò, quid de illius dicto judicij ferret. Neque poterat vir egregius dissimulare, se etiam in eâdem opinione constitutũ. Et quò robur ac firmamentũ suæ Thesi adderet, Salvatoris Christi exemplũ adduxerat, qui consanguineis suis hortantibus, ut gloriolæ captandę gratiâ ad
Iohan. 7.8. festum ascenderet, respondit, [y] *Vos ascendite ad diem*
" *festum hunc*, *ego enim non ascendam*: ubi, inquit, se-
" cretam animi intentionem apud se celavit: posteà si-
" quidem, profectus est. Neque hîc Gerardus substi-
" tit, sed secũdò mũdi Dominum aggressus est. Chri-
Marc. 13.32. stus, inquit, aliquando inficiatus est, [z] filium homi-
" nis judicij diem cognovisse. Hîc secretum ille suum
" apud se celavit, neque alijs divulgavit, cùm tamen,
" quemadmodùm filius fuerat hominis, & judicij ho-
" ram probè intellexerit, & aliud quicquam ignorare
" non potuerit. Addidit insuper, quòd si cujuspiam te-
" stimonium juridicè requiratur, & in causis seculi, cu-
" jusmodi forenses esse solent, cum tali ęquivocatione
" responderi non debere: verùm in negocijs ad religi-
" onem, & Catholicos spectantibus, ut hâc Homony-
" miâ testis utatur, fas esse. Piè sanè de Jesu, sanctissi-
" mo Dei filio, pronunciavit Jesuita. Cæterùm cùm non sine stupore & horrore aliquo, ex ore tanti, Quantus videri voluit Gerardus, Theologi, hæc prolata, viri pij & prudentes audijssent, non tacuerunt coràm: Quinimò (cùm damnabilia, & blasphema hæc primo aspectu visa sunt) enixè requirebant, movebant, obtestabantur, ut suam vellet sententiam propriâ manu conscribere, suisque vellet verbis concipere, ne perperàm fortassis, & non dex-

trè

trè ab alijs descripta caperetur. Hîc tamen tergiversari cœperat non mediocriter, Jesuita, nec voluerat ullo pacto mandare literis: non, quòd minùs vera extitissent, quæ dixisset, sed, quòd nollet in propatulum talia divulgari. Urgent tamen adhuc Regij (nam sic fuerant) Officiarij, ut sermoni suo, ab alijs tùm præsentibus conscripto, vellet saltem subscribere, ut constaret istiusmodi esse illius, socijque defensionẽ: sed & isthîc recusavit. Eleganduli sanè homines, qui exceptionibus, dicamné tam frivolis, imò evasionibus tam fœdis & portentosis, veritati caliginem offundere obnituntur: *Non vidi*, hoc est, non vidi, cum proposito vobis enunciandi. ***Filius hominis non novit iudicij diem***, hoc est, non novit cũ proposito, aut intentione illis declarandi, aut patefaciendi.

15 Videte, fratres, si pervigili cautelâ, & prudẽtiâ serpentinâ hodiè non sit opus, quandoquidem cũ tam versatili, lubricoque virorum genere agendum sit. Quid etenim posthâc sanctum, aut sincerum fiet? Cui tandem, aut quâ in causâ, non erit omnium suspecta fides? Aperta dehinc patescet porta, quâ pietas & justitia, & quæcunque ad humanam societatem pertinent, è naturâ rerum eliminentur penitùs. Illud etenim si fixum firmumque fuerit, violari posse fidem, Magistratui sub jurisjurãdi sacramento datam, quid ni multò magis in privatis commercijs? Si in religionis causâ, quâ nulla est illustrior, quantò tutiùs in quâcunque negotiatione expediendâ? Si hæreticum ità hominem circumvenire liceat, tùm & Ethnicum: tùm & Atheum: tùm certè inimicum: profanum demùm quemlibet: & deinceps, ullo vitio conspurcatũ. Et brevi futurũ est, ut pro arbitrio, lu-

croq; nostro, nemo sit futurus mortaliū, in quē nostrę suspicionis faba nō cudetur. De cætero, induciæ, pacta, conventus, fœderaq; omnia (ut quę personæ solùm larvæq; sint, ad fraudes pertexēdas fabricatæ) ad Inferos amandentur. Honestissima etenim est respōsio, Juravi me culturū pacē, & tranquillitatem: Verū est; sed sub arcanâ hâc cōditione, nisi hostē incautū possem deprehendere: Nisi ex ruptâ pace, majus emolumentum affulgeret. Quid hoc aliud est, quàm

[a] *Iura, periura, secretum prodere noli?*

Quid hoc aliud est, quàm cum [b] Priscillanistis damnatis hæreticis conspirare? Præ istis, ut novitius, locutus est David, [c] *Qui iuratus est in damnum suum, non tamen mutat*: ut neophytus, Paulus, [d] *Homines per eum iurant, qui sit maior, atque iisdem omnis controversiæ finis, est iuramentum ad confirmationem* adhibitū. Fiet jā vir bonus, quē peccasse dixit [e] Tullius; eo nomine, quòd, cū dierū triginta pactę essent inducię, noctu populabatur agros; perinde quasi dierū, nō noctiū, factæ essent induciæ. Deniq; stantibus istis fidei fundamētis, nō video, quis perjurus, fœdifragus, versipellis, aut mendax homūcio, nō Catholicus, nō Orthodoxus, non probus & honestus sit habendus.

[a] Augustin. de hæresibus ad Quod vult Deum.
[b] Contra Mēdacium. ca. 2.
[c] Psal. 15. 4.
[d] Hebr. 6. 16.
[e] Tullius officiorum. 1.

16 At quid tandem est, quod affers Southwelle? Religio juramenti integra, & inviolata custodienda est in judicio & justitiâ. Negas igitur Consessum Regiorum Judicum, de rebus capitalibus sententiā ferentiū, si Sacrificuli Rei sint, judiciū & justitiā exercere. Luculentè illud satis, jā ab hinc diù, confirmatū dedit, [f] qui illud ex proposito ventilavit argumentū. Et ubiq; ferè gentiū Clementissimę Principis, meridiano Sole clarior apparet moderatio, eousq; à cæde san-

[f] Author libri qui dictus est Executio iustitiæ, Anglicè editus Anno. 1583.

ſanguineq; abhorrētis, ut quā plurimos deprehēſos, convictos, dānatos, propoſiti etiam tenaces ſui, ſolo mulctaverit exilio, vitâ donaverit: & reliquis palinodiā canentibus, & miſericordiā implorātibus, quotidiè, ad patibulū, gratiā regalē, veniāq; cōcedat. verūtamē, ſi foret ambiguū, nū benè, malevè meritos ſupplicio afficiat, adeóq; num æquè, vel iniquè jus dicat: an vaſro cū mendacio, vel ſubdolo perjurio, Chriſti cōfeſſor, è periculo ſe debeat expedire? Nū talibus elabēdi modis, uſi ſunt ſācti Martyres, in pietatis cauſâ, etiā cū ad tribunalia, tyrannorū indubitatorū ſtarent? Apud [g] Nabuchodonoſorum tres pueri, apud [h] Antiochū ſeptē fratres, apud Principes Sacerdotū [i] Apoſtoli flagris cęſi, apud Herodē [k] Jacobus & Petrus, apud [l] Feſtū Paulus, ità apud præfectos [m] Ignatius, [n] Polycarpus, [o] Laurentius, alijq; jam in cœlis fulgentes lampades, veritatē ſimplicē, confeſſionē apertā, conſtāntiā virilē, patientiā & cōfidentiā Chriſtianā pręferebant: non turpibus ſuffugijs, & diverticulis inhoneſtis, mētiendi, pejerandi, dicendi partē, ſupprimēdi rĕliqua, prĕſentis lucis uſurā redimebāt. Antiquitùs indecorū Chriſtiano nomini exiſtimavit [p] Euſebius, cū à Gētilibus ad idololatriam urgētibus, quidam, qui ad altare non appropinquaverat, neq; quidquā impuri tetigerat, ſacrificaſſe tamen affirmaretur, ille verò tacitus eorū tulit contumeliā, neq; re negatâ, ſe inde proripuit. Quid hic diceret Euſebius, ſi modò viveret? Sed beatiſſimi Salvatoris multò potiùs exemplū afferendū eſſet, (qui Pilati ſubſelliis adſtās, injuſtitiam, & nō judiciū cauſatus non eſt, ut ſic fucata diceret,) niſi hunc ipſum, in participationem fraudis, (horreſco dicere) trahendū Gerardus cenſuiſſet.

[g] Daniel. 3. 16.
[h] 2. Mach. 7. 1.
[i] Act. 5. 29. 40.
[k] Act. 12. 2.
[l] Act. 26. 2.
[m] Euſeb. Eccl. Hiſtor. 3. 30.
[n] Lib. 4. 14.
[o] Prudentius in Periſtephan.
[p] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. 8. 3.

q Iohan.7.8.

fuisset. At quàm piè, quàm appositè? q *Ego ad festum non ascendam*; cùm ascendere tamen in animo habuisset. Sed non ascendam cum proposito enunciandi vobis. Ut in fumum istud abit, si velimus Christum ità loquentem capere: *Ego nondum ascendam ad festum?* Qui *Nondum* dicit, non negat: sed tempus protelando, non adhuc venisse horam, venturam tamen posteà, manifestum facit. Et additum *Nondum* hoc, potuisset perspicere, qui Græcum consuluisset fontem, ubi legitur: ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, ubi Οὔπω *Nondũ* est. quod ex ipsa vulgatâ editione potuisset ediscere, ubi, cũ in textu legitur, *Ego non ascendam*, in margine pro variâ lectione ponitur *Nondum*. Et in fine ejusdem versus Οὔπω per *Nondum* simpliciter redditur. ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πεπλήρωται, *meũ tempus nondum impletum est*. Sed & tale illud est, Novit Christus omnia, ideoqúe judicij horam: sed non novit, ut ipsis ostenderet. Cùm expressè Salvator, *Non scit filius*, id est, quatenùs filius hominis, & ex carne cõpositus, vel quatenùs creatura esset, non habitâ ad cõjũctã, & coünitã divinitatẽ relatione. Et humanã hanc naturam, ut Angelos, ut reliquos mortales, simpliciter non novisse judicij, & resurrectionis horam pronunciavit, (r *Sed de die illo, ac horâ, nemo scit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse filius, sed pater*) non solùm, ut illis nõ aperiret: quod si de alijs hominibus, angelisqúe in eâdem periodo, & gradatione adjectis, velimus intelligere, ridiculum foret. Nemo scit, ne angeli, id est, ità ut velint alijs renunciare. Sed apud homines pios & doctos, nominasse isthæc, & nudè proposuisse, satis

Sic è Chrysostomo exponit Toletus in hunc locum. Sic Iansenius in concordia Evangelist. cap.73.

r Marc.13.32.

erat confutâsse. Si prodierit posthàc quisquam, qui tueri volet ista, quiqúe explicatè, & asseveranter (quod nondum Jesuita) sententiam suam prodet, locus dabitur exactiùs & scrupulosiùs ista discutiendi. Intereà unicum hâc in re Gregorij Nazianzeni testimonium subjicio, cui cùm objicerent Eunomiani, filium Dei patre esse indigniorẽ, quià aliquid nesciret, dum diei ultimi horam ignoraverit, Respondit[f] *At enim quî potest ignorare quidquam in universitate rerum ipsa Sapientia? seculorum opifex? qui consummator & immutator, finẽ eorũ quæ facta sunt? qui sic novit ea, quæ Dei sunt, quẽadmodũ spiritus hominis, quæcunqúe sunt in ipso? quid hâc cognitione perfectius? Qui accuratè novit ea, quæ horam illam præcedunt, quæqúe velut ipsam finis cutem stringunt; horam ipsam ignorat? Id verò ænigmati simile fuerit. Quemadmodum si quis accuratè se dicat scire, quæ ante murum sunt, murum ipsum non nosse, vel diei finẽ scire, principium noctis ignorare; in quibus alterius cognitio, necessariò alterum quoq; secum trahit.* Hucusque disputans, discutiensqúe loquitur. Immediatè tamen difficultatem solvit: *Num intelligere quivis facilè potest, quod norit ut Deus, ignorare se dicat, ut homo, si quis id, quod in oculos incurrit, ab eo, quod intelligitur, separet? Nam quòd filij appellatio hic absolutè, nulloqúe respectu ponitur, non adiecto, cuius filius intelligatur: idipsum facit, ut cogitemus, ignorationem illam religiosiùs accipiendam esse, relatam ad humanam, non divinam naturam.* Hîc si ulla videatur delitescere obscuritas, quæ lectori intelligenti nulla est, ænigmaticum sermonẽ explicatè tradit Elias Cretensis

[f] Gregor. Nazianzenus Orat. 5. de filio. 2.

Episcopus, commentario suo in illum Gregorij locum; qui, cùm cętera expedierit, [t] *solvit*, inquit, *Gregorius id, quòd in dubium vocabatur. Quià enim Christus duplex erat, idcircò notã ei fuisse dicit horã illã, tanquã Deo: ignotã verò, tãquam homini. Quod posterius rursum declarans subijcit: si quis id, quod in oculos incurrit, ab eo, quod intelligitur, separet. Ea verba quid sibi velint, hoc quodã modo intelligemus. Servi forma, quã Dominus adsumpsit, secundũ se quidẽ cõsiderata, ut creatũ quiddã; & serva est, (nam hominis natura, Dei mancipiũ est, qui eam condidit,) & futurorum cognitionem nullam habet; quãquam ex gratiã nonnunquàm id consequatur. Verùm ut propter hypostasin, sive personæ identitatẽ, & indissolubilẽ unionem, vivificus audiebat; ita & futurorum cognitione collocupletatus est. Nam quum unus sit Christus, non potest simul, & servus esse sui ipsius, & dominus scire pariter, & ignorare: quàm quidem diù unus esse intelligitur, propter unionem hypostaticam quæ & ineffabilis est, & indissolubilis. Si verò per exiles mentis cogitationes (nam cæteroquì res confieri nequit) adsumptum ab eo, qui adsumpsit, separaveris: tùm scilicet, & adsumptum mancipium erit, & ignorare dicetur. Atque eatenùs nunc quoque dicitur, horam illam & diem Dominus ignorare, nimirum ut homo.* Ità quę adversus Antiquos, & obsoletos hęreticos, Divinitati Salvatoris detrahentes, dicta fuerunt; cõtra novum hoc hominũ genus, calumniam eidẽ Christo obtrudentium, tanquam sophisticam imposturã facienti, locum hodiè habent.

t Elias Cretẽsis Episcopus cõmentario in 5. Orationem Gregor. Nazianz.

17 Verùm, ut, quod res est, in apertã lucẽ proferam, vereor, ne ex illâ radice hæc iam tandẽ pullularint,

lulàrint, quæ ante annos aliquantò plures alicubi plãtata est. Superioribus etenim temporibus, post Bullam Pij Quinti, contra Principẽ pijssimã Romæ effulminatã, è scrinio sui pectoris, aut deprõpsit Põtifex, aut eruditione & authoritate celebrior apud illos Põtificius aliquis, nescio sanè quis, cõclusiones aliquot ad Angliã pertinẽtes, ut Eleusina tamẽ Sacra, Cererisq; mysteria, nullo pacto divulgandas. Mihi tamẽ fas sit proloqui, cùm obediẽtię sacramẽto in Romanã sedẽ non distinear. [a] *Si in tribunali Hæreticorum respondendum sit, iuramentum exactum à Iudice non competente, quales nunc omnes sunt in Anglia, in iurisdictione Ecclesiastica, non obligat, nisi secundum intentionem iurantis. Qui trahetur igitur, cùm sit Catholicus, coram Hæreticis, vel recuset iuramentum, quod est prudentius, vel sophisticè iuret, & sophisticè respondeat singulis interrogationibus, si de fide nõ sint. Interrogatus igitur de Catholicis indicandis & iuratus, si prætextu sui iuramenti, nominat, detegitq; aliquos, bis peccat.* Sic: *licitũ est Sacerdotibus æquivocare, vel nomina mutare, apud eos, qui sedent in portubus ad telonium, aut si in viâ interrogẽtur de religione suâ, aut unde venerint, responso indirecto licebit effugere, vel deludere interrogationẽ.* Et: *si temere quis, & incõsideratè Hæreticis iuramentũ dederit, se velle ad omnia interrogata sincerè respondere, cùm petuntur aliqua, quæ in præiudicium fient Catholicorũ, quià peccavit iurando, iuramento non tenetur illis respondere. Et si Sacerdos ad tribunal iudicis, iuratus petatur, quoties Missam celebravit, vel apud quos, &c. ut alijs periculum creetur, non tenetur respondere, quia non*

[a] Solutiones ad dubia quædã de Anglia proposita. Vide præfationem ad lectorem.

 est

est legitimum iudicium, nec iurantis intentio debet esse, nisi ad ea revelanda, quæ tutò potest. Respondeat tamen aliquo sensu verum, etiamsi non sit in intentione interrogantis. Si de se requiratur, consilium esset dicere veritatem, & mori pro fide, si opus est: alios autem non revelet: etenim non tenetur, quià iudex hæreticus, vel schismaticus, amittit omnem iurisdictionem. Si verò in iudicio de veritate interrogetur, nec de se, nec de alijs respondere debet, sed Amphibologicè, vel æquivocè affirmando, iniquitatem iudicis poterit declarare. Qui ista jam tandem novimus, vel à Petri successore nostratibus indulta, vel ab aliquo ejus partis Antesignano, secretè edocta, dehinc mirari ampliùs sustineamus. Quid aliud in Southwello, quid aliud in Gerardo, reliquisque ejus sortis poterimus expectare, cùm à cœlesti quasi oraculo ista edidicerunt?

18 Hîc ut dixit aliquando pro Roscio Tullius: [a] Quid primùm querar, aut unde potissimum exordiar Auditores? Post Pontificis illas diras superbè jactitatas, neq; judices sunt in Angliâ, præsertim si de Sacrificis agatur, nec tribunalia æquitatis, nec, quæ ad clavum, Regina, sedeat. Immortales summo patri sunt habendæ gratiæ, quòd sinceros magistratus integrosq;, & judices incorruptos, si alicubi, in Europa; spectatissimam autem fœminam, Augustissimã Principem, si in orbe Christiano, aut unquàm, aut uspiàm, nostro regno donaverit. [y] Fremuerunt certè Gentes, adversus unctam Domini, sed, qui sedet ab alto, ipsarum consilia ludibrio habuit. Quò acerbo felleoq; magis animo contra nostræ Reip. Sionisque tranquillitatem conjuraverunt, quò venenatis magis linguis

[a] Tullius pro Sext. Roscio Amerino.

[y] Psal. 2.1.

linguis Sanctissimam Dominam, ut [z] Davidem Shimei, perculerunt, eò altiore & illustriore dignitatis eminentiâ, & istam & illam extulit, evexitque mundi Dominus, utramq; conspicuā, & amicis & inimicis, tanquā in medio coelo Solē proponēs. Beatū Albioni dedit Deus seculū, ut calamitati ejus inhiantibus, & oculi defecerint, & ora exaruerint: lectissimæ autē Principi, [a] *vitam prolixam, imperium securū, domum tutā, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis aut Cæsaris vota sunt*: ut, cui Italus maledixerit, ei Dominum uberem in modum benedixisse, satis superque contestatum fiat. Fruatur, precamur, tali [b] Deborâ, in æternum, patria, matre in Israële: fruatur tali populo Regina beatissima, invitis quibuscunq;, exitium tam preciosæ animæ imprecantibus. Ità erunt apud nos, spectatæ probitatis judices, & justitiæ tribunalia. Quin ut deliris istorum somnijs paulisper geramus morē, Esto, Pōtifex hanc ipsam, subditosque suos, cēsurâ Ecclesiasticâ legitimâ perstrinxerit. An majores hoc fulmē habiturū vires est, quàm illud, de quo Christus, Excommunicationis nodos laqueosq; designās, [c] *Dic Ecclesiæ: Quòd si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quispiam Ethnicus, & quispiam Publicanus.* Sit igitur tanquā Ethnica: simus omnes ut Publicani. Placet etenim ità ludere, animi gratiâ. An Ethnicis data fides, an Publicanis juramentum, Deo invocato, factū, mendacio & perjurio evertetur? Agedùm [d] Abrahame, eugè [e] Isaac, licentia vobis facta est, Abimelechum post solennem sacramēti religionem circumveniendi, quippè incircumcisum. Nō Davidis magis manu, quàm voce capieris,

[z] 2.Sam. 16.5.
[a] Tertullian. in Apologetico. cap. 30.
[b] Iudic. 5.7.
[c] Matth. 18.17.
[d] Gen. 21.23.
[e] Gen. 26.31.

[f] 1.Sam.30.15. [f] Ægyptie famule, qui Deum contestanti fidem adhibebis. Jeconiah versus Babylonium fœdifragus, jã
[g] Ezech.17.15 prudens est, [g] *& evadet*: quod negavit Dominus, ob promissum violatũ vehementer excandescens. Sed
[h] Matth.23.16. ut olim Pharisæi juramenta distinguebant, [h] *per altare nihil est: tantundem, si per templum: at si per aurum: per donarium*, tum reverà peccatur, ità sanè in successoribus Pharisaicæ sectæ, distinctionem isthîc expectamus.

19 In negocijs ergò juris, & humani commercij, veritatem oportet proloqui; sed in causâ religionis, aut Sacerdotum, & Catholicorũ, liberiores sumus. Putabã sanè in divinis negotijs, cautissimo, & mũdissimo fuisse ambulandũ pede. Veritatis Sol est Chri-
[i] Iohan.14.6. stus, & lampas radiantissima. Non [i] ad ipsum, nisi per
[k] 1.Ioh.2.1. se, id est, per veritatem, veniendum est. Sed [k] *mendacium nullũ ex veritate est*. Annòn hoc est, Christi nomẽ apud Principes erubescere, cùm secessibus quęrendis, & diverticulis indagãdis, inhonestis Christiano nomini, confessio, si non rei, at materię connexorum, & conjunctissimorũ celatur? Aliàs nos Christus in personâ suâ edocuit; qui, utcunq; in nonnullis interrogatis mutus fuisset, quò se sponte vitam depo-
[l] Matth.26.63 suisse cõtestaretur; cùm [l] adjurasset eũ tamen Sacerdotũ Princeps, ut directè responderet, apertè testa-
[m] Marc.14.62. tus est, [m] *Ego sum*. qui in decẽ primis persecutionibus laniati sunt, & discerpti martyres; ad Ethnicorũ Tribunalia sistebantur; neq; tamẽ in religionis negotio, vel quoad substantiã, vel circũstãtias ingruentes, exceptiones dederunt, quibus freti, quæcunq; pro causæ ratione postulabãtur, falsò pronunciarent. Detur unus celebriũ illorũ Christi testium, tot linguis per

tot secula decantatorum, qui sine labe tunc à pijs aspersâ, sine inustâ ignominiâ, tale aliquid perpetrârit. Detur aliquis sanctissimorũ primæ Ecclesię luminarium, qui tale aliquid scripserit, docuerit, defenderit, immurmuraverit. Nihil illi magis execrandũ, apud Dominũ senserunt, quàm in ijs, quæ ad propriam sui gloriã spectant, vel minimã mundanæ falsitatis speciẽ, aut docere, aut prẹstare. Nec immeritò, cũ [n] mẽdacia, & perjuria, in ijs, ab Apostolo enumerẽtur, quæ sanẹ doctrinæ sunt cõtraria. Et, [o] *testis velox futurus est Dominus, adversus falsò iurãtes*. Cũ cavisset Deus de semine [p] Canaanitico radicitùs extirpando, & ad suã illud gloriã immediatè spectâsset, ut, quod mãdâsset, custodiretur; jurati seniores [q] Gibeonitis pepercêre. Cũ juramẽtũ illud, in alienâ personâ multò priùs prẹstitũ violâsset Saulus, [r] triẽnali fame delictũ castigãdũ cẽlebat Jehova. qui universę Israëlis terrę, idque Davidis tẽpore, post prẹteritos plures annos, acerbã famẽ immiserat: quàm insigniter id in Saule detestatus est? etiãsi divinæ voluntatis obsequium in personâ suâ, adeoq;, contra juramentũ temerarium ab aliis datũ, obtenderet. Quid in genere de his cogitet, apud Zachariã loquitur: [s] *Alter malum alterius ne cogitetis cum animo vestro, & iuramentum falsum ne ametis; nam omnia hæc sunt, quæ odi, dicit Iehova*. Indefinitè loquitur, & in universo: Juramentum falsum ne ametis: Et hæc sunt, quæ odi.

[n] 1. Timoth. 1. 10.

[o] Malach. 3. 5.

[p] Deut. 20. 16.

[q] Ios. 9. 15.

[r] 2. Sam. 21. 1.

[s] Zach. 8. 17.

20 Sed aperto, directoq; mendacio, juramento contraire nolumus. Aut nostra, aut aliena vita est, quæ in discrimen conjicitur, cui cũ abundè cautum cupimus, sophisticè respõdebimus, aut astu deludemus, neq; quidquã, nisi ęquivocè, & Amphibologicè

 pro-

proferemus, reservatâ nobis secretâ animi intentione. Vita sanè dulcis est, sed qui[t] *nō odit præ Christo vitā, nō erit eius discipulus.* Quid isthic Augustinus? [u] *Ne quis arbitretur, perfectum & spiritualem hominem, pro istâ temporali vitâ, in cuius morte non occiditur anima, sive sua, sive alterius, debere mentiri.* At eximiè vos estis spirituales, qui assueto, & mirè delectabili Christianorum nomine contēti non estis; nisi & Jesuitarum titulus, ut Jesu conjunctiorum, tanquàm cumulus accedat. Vitæ igitur periculum à justo non avocaret. Sed ne solus hâc in causâ eat Augustinus, se conjungit Gregorius, Romanus aliquandò Pontifex, qui, ut senior est hodiernis Papis, ità etiam multò sanior. Sic autem loquitur: [x] *Quia scriptum est, Os quod mentitur, occîdit animam: & perdes omnes, qui loquuntur mendacium; hoc quoque mendacij genus perfecti viri summoperè fugiunt, ut nec vita cuiuslibet per eorū fallaciam defendatur: ne sua anima noceant, dum præstare vitam carni nituntur aliena.* Videte, quàm latè-patenti utatur voce *per eorum fallaciam*; sic sophisticis etiam delusionibus occurrens. Subdit reverà: *Quanquàm hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari.* At num *peccatum est* Gregori, *& anima nocet, & occidit animam, & perdet mendaces Deus*, & *perfecti viri summoperè fugiunt*, & tamen facilè relaxatur? Hoc oportet ut sit, à Deo miserante, qui pœnitentibus, maximorum delictorum veniam concedit, non ex naturâ aut qualitate criminis. Ut de causâ igitur impellente dicere supersedeamus, videamus modum. Cupijssem è scripturis, indubitatæ fidei judicibus, in re tantâ confirma-

[t] Luc. 14. 26.

[u] Augustin. in Psal. 5.

[x] Gregor. Moral. Lib. 18. 4.

cōfirmationem aliquam:(ut Æquivocè responde-atur,& delusoriè,& Sophisticè:)quin potiùs ad Navarrum, Martinum ab Azpilcuetâ nos transmittunt; qui celebrioribus sepositis, aut Patrum, aut Conciliorū testimonijs (ut de Sacris taceam literis) magnum illum,beatumque Franciscum nobis refert,putà, tanquam Christum alterum, [y] *qui rogatus,quà perrexisset quidam homicida,qui iuxta eū transierat, manus per manicas immittens, respondit, non transisse illàc, intelligens, non transisse per illas manicas*. Dextrè quidem, ac pulcherrimè, & ut Franciscum decuit. Homicidam divino,humanoque damnandum jure, ille tuendū censuit;sic & ejus exemplo, lupos animas hominum devoraturos,insidiosè celandos, boni viri arbitrantur, hodiè. At num juratus, ut verè omnia, & totam proloquatur veritatem; & quæsitus speciatim, punctimque, de singulis circumstantijs, de loco, de tempore, de modo,de numero, de personis certis, sic poterit effugere? Miror sanè Jesum Christum, quùm Apostolis,quid futurum esset,significaret,nō ista docuisse. [i] *Ad præsides,& reges ducemini meâ causâ, ut hoc sit eis, & Gentibus testimonium*. Hîc, ad Ethnicos, ideòque, quasi ad non-judices: meâ causâ, in negotijs igitur religionis: in testimonium illis, ideóque, ut mors patienda foret. Cur hîc oblitus non addiderat: Sed æquivocandi, deludendi, sophisticè jurandi, do vobis potestatem. Si addidisset isthæc, res integra fuisset. Verùm Arrium illi potiùs,quàm Christum imitandum crediderunt,[z] qui apud Constantinum Imperatorem,juramento tali delusorio aliquando usus est: sed divinâ postmo-

[y] Navarrus Enchiridii ca. 12. 8.

[i] Matt. 10. 18.

[z] Theodoret. Histor. Eccles. l. 14.

postmodùm sese exerente vindictâ; perjurij, hæreticæque uno momento blasphemiæ, pœnas luit acerbissimas. De illo sic Socrates: Cùm apud Constantinum Arrius Niceno Concilio subscriberet, [a] *Imperator hoc admiratus, illum etiam ad iusiurandum adigit. Ille simulatè, & fallaciter istud quoque præstitit. Fucata verò ratio, quâ ad fraudem in subscribendo usus sit, sicut ipse audivi, eiusmodi fuit. Arrius suam ipsius opinionem in chartâ, quam habebat, conscribit: eam sub alâ gestat. Iurat se verè, & ex animo sentire, quemadmodum scripserat.* Quàm cum nostris hæc conveniunt? Qui in hæresi illius neutiquàm, verùm in fraude, & impostura, tam laudati ubique patris, & filij, & hæredes, & successores sunt dignissimi. Stupendum non est, si tremendum, & verendum, è justitiæ flagello, consequantur nonnunquàm exitum, quum grandissimo, quæ comprehenduntur, libro apud [b] Zachariam, Væ, & maledictiones prædicantur in domum falsò jurantis intraturæ, & in mediâ remansuræ, & eam consumpturæ, cum lignis & lapidibus ejusdem. In corporibus, domibusque hujuscemodi hominum, hæc verissima quàm sępissimè comperimus. Bearet multò potiùs æternus pater, si sanctiùs illud suum animo reconderent; [c] *Non iurabis per nomen meum falsò, nec pollues nomen Domini Dei tui.*

21 Hujusmodi fidei articulos, utinam jam tandem Romani dediscerent Patres. Malè audiunt apud omnes, hæc in factis exempla, hæc in dictis Axiomata. Fides data Hæreticis, servanda non est. [d] *Cæsar obsignavit, Christianus orbis resignavit*

[a] Socrat. Hist. Eccles. 1. 25.

[b] Zachar. 5. 4.

[c] Levit. 19. 12.

[d] Campianus Ratione. 4.

navit maior Cæsare. Durum sanè illud fuit [e] Francisco Seniori Gallorum Regi: quum Sionis Cardinalis Helvetijs persuaserat, fidem Francisco datam de suppetijs ferendis, fallendam esse & relinquendam: factum tamen fuit turpiter. Cùm in Galliâ inter Carolum nonum, & Condæum sociosque, pacis ictum esset fœdus, exclamant quotidiè in concionibus Jesuitæ, [f] *pacem non debere fieri cum Hæreticis: Factam haudquaquam debere servari: rem piam esse atque salutarem, impuris hominibus manus violentas afferri: Christianum populum adversus Hæreticos istos armari debere. Ad hoc, Concilij Constantiensis decretum afferunt, & exempla Levitarum fratres occidentium.* Videte, num istorum, aliorumque in Jesuitis, similium, vindictam exegerit cœlestis pater, cùm tanquàm Ecclesię, & Reip. perniciem, è Gallia nuper illos, & Pontificiorum manu, detruserit. Cęterùm quàm tristi illud vultu aspexit Zelator Deus, quod commisit aliquādo [g] Ladislaus Hungarię, & Polonię REX profanè & imprudenter, instigante Pontifice Eugenio Quarto, eiusque Cardinale & Legato Juliano? Hic etenim quando fœdus cum Amurathe Secundo, Turcâ, percussum, ex proposito rupisset, inauspicatâ illâ Varnensi, pugnâ dicamne an clade? cum exercitu & perjurij suasore Cardinale miserrimè interiit. Fœdi consilij, & indigni Christiano nomine, turpissimus exitus. Hæc si crebrò facta forent, cum perpetuo dedecore religioni nostrę inurendo, Mahumetani & Turcę, perjuri nimiū ipsi & fœdifragi, interrogare poterint in pactis obfirmandis, per quemnā Deum pòsthâc juraturi simus,

[e] Memoires du Bellay, li. 1.

[f] Commentarii Relig. & Reip. in Gal. lib. 8.

[g] Lonicerus li. 1 Turcic. Histor. P. Callimachus de pugna varnensi.

mus, ut ad [h] Francos aliquando Romani: vel ut iidem potiùs ad Carthaginienses, per quos Deos fœdus icturi essent, cum respondit ipse [i] Asdrubal, Legatus Punicus, *Per eosdem, qui tam infesti sunt fœdera violantibus*. Devicto tum Hannibale, periurij sui amaras solvissent pœnas. Utinam Romanenses nostri, Christi nomen aut profitentes, aut simulantes, antiquos Romanos, Deum verum non agnoscentes, in promissorum, & juramentorum sanctitate æmularentur; apud quos nihil quidquam fuerat solennius, quàm metu omni seposito, ut [k] Regulus, spe contemptâ, ut Sextus Pompeius, fidem datam conservare. Celebre illud est eiusdem Pompeij, quod, quùm è Triumviris duo, [l] Octavius Cæsar, & Antonius, juramento illius fisi, apud ipsum in navigio convivarentur, rogârit illum Menas Pirata, aut, ut appellat [m] Appianus, Menedorus, num discissis funibus anchoralibus, utrumque abduceret, sicque ipsum, dominum, possessoremque unicum Romani Imperij faceret: Is paulisper meditatus, *iniussu meo, Mena*, inquit, *id tibi faciendum fuit. Nunc præsenti rerum statu contenti simus. Id peierare enim non est meum*. Quàm honestè iste Ethnicus? Quandò, si [n] jus violandum sit, regni gratiâ violandum esset, ille potiùs memor fidei, Id peierare, dixit, non est meum. Nostri autem, cùm regnũ, & cœleste, & æternum, periurio sit amittendum, non acquirendum, perdendum, non lucrandum, id peierare volunt esse suum.

22 At in sensu suo, & secretâ intentione mentis, loquuntur vera. Non ivit hâc, i. non per manicas. Non vidi, i. cum proposito declarandi vobis:

Quis

[h] Procopius de bello Gothorum Lib. 2.

[i] Liuius li. 30.

[k] Tullius lib. 3. offic.

[l] Plutarchus in Antonio.

[m] Appianus lib. 5. de bello civili.

[n] Euripides in Phœniss.

Quis vnquàm hominum, aut mendax, aut periurus appellabitur, si sana, solidaque ista sint? Quid hîc, quæso, Psaltes Dauid dicturus est? *Quis*[o] *ascendet in montem Domini? Qui non iuravit in dolo, proximo suo*. Istud certè, in dolo est jurare: & nomen proximi, ad[p] omnem, quocum agimus, ad Samaritanum, ad Judæum, ad quemcunque nostrâ operâ indigentem, se extendet.[q] *Falsum non feres testimonium adversus proximum*, i. contra nullum. Non erat Babylonius, Mosaïcâ stante lege, Jeconiæ Regi viciniâ, aut habitatione, proximus: cùm tamen inter eos contractũ esset fœdus, & ex Jeconiæ parte ruptum; quid hîc Dominus?[r] *an prosperabitur? an eripiet se, qui facit ista? qui irritum fecit fædus, etiamne eripiet se?* Et postea: *Quum spernat execrationẽ, irritum faciendo fædus: quià ecce iunxit manum suã, & omnia ista facit, non eripiet se. Idcirco, sic ait Dominus Iehova, ne vivam ego; nisi execrationem meam, quam spernit, & fædus meum, quod irritum facit; hoc reponam in caput ipsius*. En, ut juramentum Deus appellat suum; foedus itidem suum; quià illius nomine contractum. Memorabile illud est, quod super eum Ezechielis locum habet Hieronymus:[s] *Qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? Ex quo discimus, etiam inter hostes servandam fidem, & non considerãdum, cui, sed per quem iuraveris. Multò enim fidelior inventus est ille, qui propter nomen Domini tibi credidit, & deceptus est, te, qui per occasionẽ divinæ maiestatis hosti tuo, imò iam amico molitus es insidias.* Sic ille: Non considerandum est, cui, sed per quẽ juraveris. Imò falleris Hieronyme: Apud excommunicatum, apud non judicem, si sacramento astrictus

[o] Psal. 143.4.
[p] Luc. 10.33.
[q] Exod. 20.16.
[r] Ezech. 17. 15. 18. 19.
[s] Hieron. in Ezech. 17.

loquar, considerabo non per quē, sed cui juraverim: Etiamsi reverà ille, cui jam teneor respōdere, non sit reipsa, sed delirâ meâ opinione, à Sanctorum communione seclusus, aut segregatus: & verissimè, loco suo, judex sit justissimus: sub Deo, principeque, magistratus nominatus: contra fures, homicidas, proditores & perduelles, gladium non frustrà gerens. Annon hoc est, audaci fronte & perfrictâ, sacrosanctum Dei nomen in vanum sumere, quem, quâ de causâ, adhibeo testē, si decretū sit apud me fraudulenter agere? è Tartareo illo puteo hæc Dęmonologia, nō Theologia derivata est, & è Christiano exterminata orbe, ad spiritus infernales, retrò amandāda est. Gregoriū Nazianzenū nemo sobrius celeberrimū negabit Theologū, eâ siquidē appellatione, illū venerāda Antiquitatis canicies dignata est, Eius igitur audite Theologiā: [a] *Solent pleriq; dicere.*

[a] Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος,

[a] *Iuravi lingua, mentem iniuratam gero.*

Quidvis potiùs argutè potest excusari, quàm iusiurandum. Nemo prorsus fucum sibi fieri patiatur. Nā iuramentum hoc est; & quantum quæso mali accidit ex ipsâ fraude? Quàm sincerè Gregorius? Quidvis potiùs argutè potest excusari, quàm jusiurandum. Isti tamen nec argutè, neq; piè excusabunt. Adiiciam unicum Bernardi testimonium, quo nullum est illustrius. [a] *Quâcunque arte verborum quis iuret, Deus, qui conscientiæ testis est, ità hoc accipit, sicut ille, cui hoc iuratur, intelligit. Qui verò dupliciter iurat, dupliciter reus fit, quià & nomen Domini in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Sic Ecclesiæ patres: sic olim Christiani. Quid Evangelico dico illustratos

[a] Gregor. Naz. Dialogo ad eos, qui iuramentis frequenter utuntur.
[a] Euripides in Hippolyto coronato.
[a] Tullius sic interpretatur Officior. 3.
[b] Bernard. de interiori domo. cap. 51.

tos lumine? Sic homines animales, quibus sacrarum literarum ne auditum nomen est. Proponit M. Tullius ex Accio illud: [b] *fregistiné fidem? Neque dedi, neque do infideli cuiquam*. At quid tum deindo Tullius? *Est iusiurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmatè quasi Deo teste promiseris, id tenendum est*. Et posteà: *Si hinc sibi sumunt nullam esse fidem, quæ infideli data est; videant, ne quæratur latebra periurio*. Si vixisses nunc M. Tulli, vix credendas periurio latebras quæri, & videres, & doleres. Quàm miseri nostri sunt Papismum amplectentes, adolescentes, fœminæ, seniores, creduli, imperiti rerum, incauti, in fraudem illecti, quibus tales jam tandem magistri contigerunt, qui plùs omnibus sapere, id est desipere, & à viâ deflectere, in partibus transmarinis didicerunt.

[b] Tullius Offic. Lib. 3.

23 Non immeritò sibi nomen arripiunt Sophistarum, (id[c] etenim eorum proprium est, qui Sophisticè respondent.) Ut enim jam olim Sophistæ [d] dicebantur, qui σόφοι non fuerunt, sed inflato tantùm cum titulo & ventoso, gloriosi quidam; qui à rectâ Philosophorum sectâ distabant longissimè, vehementer apud illos redarguti, contempti, ludibrio habiti, ità isti, in rebus seriis & ad Deum spectantibus, fraudulenter & sophisticè, iurati, respondentes, ex albo verorum Christianorum, tanquàm mendaces & periuriorum disseminatores sunt expungendi. Quibus unicum illud est, & miserum certè in his angustiis refugium, incompetentes esse in Angliâ magistratus, Reginam, & Senatum, esse nō-Judices. Aliàs etenim ex principiis fundamentisque Casistæ & Canonistæ

[c] Ex regula coniugatorū.
[d] Aristotel. de Elenchis Sophisticis. Isocrates Oratione contra Sophistas.

sui gravissimè delinquunt, cuius non pigebit verba recensere. De illo disputans mandato Mosaïco Non sumes nomen Domini, Dei tui in vanum, cujusmodi homines illud præceptum violare soleant, ostendit:[e] *Decimo quarto loco, qui Sophisticè & dolose aliquid iurat, aliter intelligens, quàm ille, cui iurat, intelligit, nullâ intercedente causâ, aut iustâ ratione utendi tali duplicitate, non solùm peccat mortaliter, ut dictum est, verùm etiam posteà non adimplens illud, secundum sanum, & communem intellectum illius, cui præstitit iuramentum. Quoniam quando iurans utitur dolo, alter verò minimè, iuramentum adimpleri debet, secundum sanam, & communẽ intentionem illius, cui iuratum est.* Quæ sit causa intercedens, aut justa (secundum Navarrum) ratio utendi tali duplicitate, ex illâ ejus regulâ, ediscatur, quæ, quandoquidẽ ex præcedente præcepto generali nobiscum magis facit, ut citetur, digna est:[f] *Nonò* peccat, *qui iurat id, quod est verum secundum mentẽ suam, non autem secundum intentionem illius, cui iurat, cùm esset iussus iurare à iudice competente, servato ordine iuris, vel se offerendo sponte ad iurandum.* Hæc regula est: addit tamen per explicationem: *Diximus à iudice competente &c. Quoniam si iudex iuramentum exigens talis non fuerit; vel esto, quod sit competens, interrogat tamen contra iuris ordinem; vel est alius homo privatus, qui per metum, aut importunitatem, iuramentum extorquet; tunc iurare poterit id, quod secundum suam mentem est verum, falsum autem, secundum mentem alterius, cui exhibet iuramentum.* Hæc profanè satis: sed ex istis principijs, scelestæ nostratium Sacrificorum responsiones, & defensiones

[e] Navarrus Enchirid. cap. 12.13.

[f] Cap. 12.8.

siones convincuntur esse, nisi illud constiterit, Principem, præsidesque suos, omni authoritate, & jurisdictione excidisse; id quod nullis eorum ampullis, cavillis, calumnijs, unquàm dabitur effectum; sed Papalem eâ in re arrogantiam, & Antichristianam insolentiam boni omnes perpetuò explodent: id, quod meritò faciendum esse, jam ab hinc diù docuit [g] Marsilius Patavinus, nuper autem ex Anglis viri doctissimi, & de Ecclesiâ plurimùm meriti, [h] Johannes Juellus, suo tempore Episcopus Sarisburiensis, Thomas Bilsonus, modernus [i] Episcopus Wintoniensis, & Johãnes [k] Rainoldus, Decanus Lincolniensis, quos, qui volet, Anglicè insigni cum fructu legat. Aliæ si obtrudantur exceptiones, multò magis sunt ridiculæ. Siquidẽ & ipsi juramento extra controversiam aliquãdo onerantur: &, quod ad formã juris attinet, ex legũ Anglicarum ordine, nõ pręciso magis, quàm antiquo, prudẽtissimè, & cautissimè transigũtur omnia. Et Sacerdotalis functio, quã obtendũt, in transgressione legũ, aut divinarũ, aut politicarum, à Principum castigatione non tutatur; cũ, [l] *omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta sit*, oporteat. Unde egregiè Chrysostomus: [m] *Ista imperantur omnibus, & Sacerdotibus, & Monachis, nõ solùm secularibus: id quod in exordio declarat, cũ dicit omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit; etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatẽ subvertit ista subiectio.* Et super istos ęquè, atq; super alios, magistratus gladiũ gestat, non frustrà. Id quod noverunt pij olim Principes; ut [n] Salomõ, cùm Abiathar, è munere Sacerdotali deturbaret, & Zadocum eâ dignitate in-

[g] Marsilius patavinus in Defensore pacis.
[h] In respons. ad Bullam seditiosam.
[i] In libro contra Pontificios edito.
[k] In colloquio cum Ioh. Harto.
[l] Roman. 13. 1.
[m] Chrysost. Homil. 23. in Epistolam ad Romanos.
[n] 1. Reg. 2. 26. 35.

[o] 1.Reg.2.23.20. signiter; ut [o] Josiah qui sacerdotes idololatricos occidione occîdit. Imò Jehu apprimè memor, & regiæ potestati imperatũ esse, cum alijs, [p] *Capite vulpes, vulpeculas, quæ perdunt vites*, Baalis [q] sacerdotes ad unũ interfecit. Quæ cùm ità se habeant, quàm temerè, isti pericula & animabus, & corporibus accersunt suis? Quantã faciunt iniuriã divino nomini, fraudulenter contestando? quantam Regiæ Maiestati, scelus scelere, proditionem periurio cumulãdo? quantam iudicibus, quoúsq; poterint, circũveniendo & deludendo? quantam populo Christiano, ea apertè præstando, secretè docendo, quæ cum mendacijs, & versutiis in summo genere sunt coniũctissima? [r] *Abominatio sunt Domino labia mẽdacia.* Pater cœlestis tandem eorum oculos aperito. Jam ad alia redeo mendaciorum genera.

[p] Cantic.2.15.
[q] 2.Reg.10.25.
[r] Prou. 12.22.

24 Sed quàm parvum est, unam tantùm immutâsse vocem: pro Non, etiam, pro etiam, non, cùm vita hominis, imaginis Dei, Christiani, amici, tuenda sit, quæ peribit aliàs? At novimus vel in miminis à justitiâ exorbitari. Unica iudicis vox, Non, aut Etiam, innocentis sanguini, vel parcit, vel effundendo consentit. Unica Christi vox, [s] Ite vel Venite, aut ad cœlestia animam evehit gaudia, aut in gehennam protrudit. Neque aliena conservanda est vita, cum dispendio, aut iacturâ animæ tuæ. Nam quid in aliis peccatis faciendum esset? Ut, velit debeatvé quisquam mori, nisi patriam proditione tradideris, nisi peieraveris, nisi furtum feceris: num in ista prorumpendum est? Phyllis aliqua, aut Amaryllis ità te, tuamqúe ambit pudicitiam, ut nisi cesseris, laqueum collo sit iniectura

[s] Matth.25.34.41.

aut

aut seipsam mari immersura. Num illius, tuo vitio, amentiam redimes? Non redemisset pudicus ille [t] Joseph, si & princeps fuisset, quæ pellexerat, & sua domina. Et tibi, & illi prosis, modò possis: sin nequeas utriq; , tuam salvato animam : tuam mundato conscientiam. Verùm annon minus tolerabo, perpetiarq; malum, ne accidat gravius? Id me docuit Patriarcha Lothus, [u] qui suas Sodomæis filias, potiùs proposuit vitiandas, quàm permitteret, ut viris, & hospitibus stuprum inferrent. Rectè sanè; sic Lothus fecerat; sed num piè fecerat? Annon ille malè, ut bonum succederet? Nihilo ergò magis id in illo justo imitandum est, quàm vel quòd [x] ebrietate in mõte, vel incestu in speluncâ, se contaminârit. Tu ab omni fuge turpi, ut à serpente; & reliquum permitte Deo.

[t] Genes. 39. 8.
[u] Genes. 19. 8.
[x] 33.

25 De ægris, quæ objiciuntur, paris sunt rationis. Qui ęgrotat, cupit aliquid cognoscere, cujus notitia, morbum, animiq; affectum exasperabit magis. Aut cũ ægrotanti credulitas, & imaginatio multùm prosit; Medicorũ est, sermone blãdo lactare, eaq; quę secùs habent, ingeminare. At ista Medicorũ nõ sunt, sed hominum mentientium. Quo modo pius sperabit Medicus, affuturum suæ operæ Deum; si malis, & illegitimis utatur mediis? Commentis irritatur, & provocatur, vitæ necisq; Dominus; non placatur. Quæ artis suæ sunt, exercenda sunt; & invocandus Deus, ut conatui velit adesse, & affulgere. Imaginationi, factis veris, occurrendum est, non sermone ficto. Rectè fecerat, qui credenti, per humorem melancholicum, sibi caputi defuisse, pileum plumbeum injecit, ut onere pressus tandem per-

sentisceret: sin fabulas ingerendo, phantasiam avertere cogitâsset, ludibrium fortassis Deo, hominiq; factus ipse fuisset. Neq; tamē medico negamus tacendi, aut celandi facultatem, si quid obesse velit, cùm proferatur. Et hoc ipsum Theologo etiam permittimus, ut pro re natâ, (ne acerbis fortassis legis Mosaïcæ minis, languentem obruat conscientiam) doctrinam hanc aut illam, ad tempus, occultet: sed ne mentiendo occultet, caveat: sic etenim officij limites transilivit sui. Non enim ut fingat, fabricetvé aliquid minister gregis, id Apostoli facit, qui [y] Judæis factus est Judæus, Græcis Græcus, infirmis infirmus, imò omnibus factus est omnia, quià talis erat Paulus, ut loquitur Augustinus, [z] *Compassione misericordiæ, nō simulatione fallaciæ*, Et, *non mentientis astu, sed compatientis affectu.*

[y] 1. Corinth. 9.20.

[z] August. Epistola 9. ad Hieronymum.

26 Illud Jehu, non habet excusationem suam, [a] qui se Baali sacrificaturum verbo spospondit, ut Baalis Sacerdotes interficeret. Quòd idolis serviētes sustulerit, pium erat: quòd per fraudem, & idololatriæ simulationem sustulerit, non ità. Illud laudes [b] habet in scripturâ suas, istud vitio non caret. Neque ejus calcanda semper sunt vestigia, ut hominis sancti; quippe qui ambitione impulsus, de Achabi familiâ vindictam sumpsit, nō Deo simpliciter, & corde integro placiturus: [c] ad idololatriam siquidem, ipse etiam recidit. Fuerunt tamen, primævâ Ecclesiâ, qui illius secuti exemplum, suam ad tempus celârunt fidem; & in secreta Hæreticorum colloquia se insinuârunt, ut Hæreticos occultos caperent, ipsosqúe vel magistratibus, vel pastoribus Ecclesiæ proderent. De istis pronūtiat doctissimus

[a] 2. Reg. 10.18.

[b] 30.

[c] 29.

doctissimus patet: [d] *perniciosiùs, aut, ut mitiùs loquar, periculosiùs isti mentiuntur, ut Hæreticos capiant, quàm illi, ut Catholicos lateant*. Et, *tolerabiliùs in suis foveis delitescerent vulpes, quàm propter illas capiendas in blasphemiæ foveam caderent venatores*. Qui enim sic alios captant, & suam intereà fidem inficiantur, meminisse deberent; [e] Qui negat me coram hominibus, & ego ipsum sum negaturus coram patre meo, qui est in cœlis. Videant nostri seculi homines, si qui hoc animo, in cætus Hæreticorum, & malorum, se immittant. E cloacâ, & Camarinâ impietatis se revocare, Christianum est, & è Babylone recedere; sed de industriâ, & volenter se ingerere, est profanum.

[d] August. contra mendacium. cap. 3.

[e] Matt. 10. 33.

27 Stratagemata belli, si sine vocis, sermonisqué abusu fiant, sanâ cum conscientiâ poterunt exerceri, ubicunque bellum justum est. Ita [f] Aitas Josua ceperat: sic alios per insidias sanctissimi Imperatores devicerunt. Si etenim hostes liceat occidere, & modis omnibus non interdictis, licebit occidere. [g] *Dolus an virtus, quis in hoste requiret?* Sin pacem spondeas, cùm bellum pares secretò, fraudulenter facis; præsertim si aperto sermone, certam pacem præ te feras. Quò prudentiùs Senatus noster venerãdus fecerat, qui, licèt Hispano pacem offerenti specie tenus, [h] aurem accommodaret, non credidit tamen nimiùm fraudulento cõsilio. Ille tamen satis turpiter, qui tunc omni vi, Angliam invadere destinaverat. Sed de istis satis. Ità mendacia in nullo hominum excusanda censemus; non officiosa; non jocosa; non

[f] Iosua 8. 3.

[g] Virgilius Æneid. 2.

[h] In colloquio cum Parmensi Duce, Anno, 1588.

perniciosa; non in Medico; non in Theologo; non in Rebecca; non in Rahab; non in obstetricibus; nedum in [i] Anania & Saphyra, qui spiritui Sancto mentiti, tremendas luerunt sui sceleris poenas: sed loquendam veritatem, omnibus, & ubique, nec pro æternâ alterius salute, malis utendum medijs: quià sic voluit veritatis Deus, cui cum filio, & spiritu, sit gloria in æternum.

i Act. 5.1.

DE

DE CIRCUMCISIONE PER TSIPPORAM. CAPUT II.

Exod. 4. 24. Evenit autem in illo itinere, in diversorio quodã, ut occurreret Mosi Iehova, velut quærens morte afficere eum.

25. Sed accipiens Tsippora cultrũ acutum, amputavit præputiũ filij sui, & admovit pedibus illius; nam inquit illa, sponsus sanguinũ es mihi.

26. Sic destitit Iehova ab illo: dixerat autem tunc sponsum sanguinum, propter circumcisiones.

1. Infantulum circumcîdit fœmina. 3. Circumcisionem excipit Baptismus apud Christianos. 4. Num ad salutem absolutè sit necessarius Baptismus. 8. An per laicum, vel fœminam dari debeat. 12. Et num ita datus, per ministrũ Evangelij sit repetendus.

Ircumcisionis Sacramentum cuique masculo, apud Israëlitas, fuisse imprimendum, ita disertè apud [a] Mosen proditur; ut dubitandi, num è divinâ fuerit voluntate, necné, nullus cuiquã sobrio relinquatur locus. Ceremoniam retinuit Abrahæ propago, hoc est, Jacob & filij; neque aliâ

[a] Gen. 17.9.

[b] Gen. 34. 14. magis fraude, [b] Simeon & Levi, Sichemitas in sua pellexerant retia, quàm auferendum esse præputiū, suis sociis, & confœderatis, proclamando. Et populus Israëliticus, extra omnem controversiam, servitute Aegyptiacâ jam pressus, & oppressus, in eo carnis signaculo admovendo, Maiorum vestigia persecutus est. Mosi igitur sua caro, &, quam in corpore gestabat, notula, testimonio, vel argumento esse poterat, suos, quos genuerat, filios, eo pacto, in fœderis consortiū esse admittendos; sic deo consecrandos; ne [c] Zelotypus Dominus, & acris in judicio, sibi, suisque admodùm succenseret. Et [d] *horrendum est, in manus Dei viventis incidere*. Obiecit tamen remoram pietati, & obsequio Mosaïco, uxoris dilectio; quæ, cùm è semine [e] Madianitico oriunda esset, nec ex sanctorum prognata prosapiâ; suæ potiùs morem gerendum voluntati, patriæque suæ consuetudinibus, insistendum censuit; & circumcisionis sigillum, aut ut vile, sordidumque est aspernata, aut ut crudele, & sanguinarium quiddam, in infantuli sui tenelli carne, est detestata. Importunis igitur, ut probabile est, apud maritum agens precibus, eousque aut blandiendo, aut molestiam facessendo, obtinuit, ut adversus expressum, & speciale Dei mandatum circumcidere neglexerit. Malo sanè Mosis exemplo: qui et suam indulgentiam, [f] Adami facilitati, versus suam Evam adiungendo, reliquis fœminis incitamento, calcarique esse poterat; ut vel lachrymis, vel blanditijs, vel malis consilijs, viros suos ità flecterent, & pellicerent, ut ipsarum votis, pietatem in Deum, probitatem in homines posthaberent. Quod & Jobi etiam uxor, aggredi

[c] Exod. 20. 5.
[d] Hebr. 10. 31.
[e] Exo. 2. 16. 21.
[f] Gen. 3. 6.

gredi ausa est: [g] *Benedic Deo, & morere*; sed repulsam egregiam tulit. [h] Salomonis autem coniuges, & tentârunt, & penitùs pervicerunt. Ità, quæ data est homini in initio [i] auxiliatrix, fœmina, dubium auxilij genus facta est; dum ad bona non modò non impellat, verùm & nonnunquàm avocet.

[g] Iob. 2.9.
[h] 1.Reg.11.4.
[i] Gen.2.18.

2 Qui solet suis, tam turpiter cedentibus, irasci, Deus; neglectum Sacramentum, ità Mosi vitio vertit, ut, cùm peregrè proficisceretur, & in diversorium quoddam, nocturnam illìc acturus quietem, se reciperet; occurrerit infestus, subitâque illatâ vi, ad mortem ferè detruserit; non innocuum filiolum, ut quidam volunt; (quid etenim infelix meruisset puer, cuius crimine Sacramentum dilatum nō est) sed Mosen, quem ferociter, atrociterque, meritò tamen, percusserat. Cùm languescens jam maritus, & moribundus decumberet; imminente malo edocta Tsippora, festinabunda accurrit; & arrepto (non saxo acutiore, *aut petrâ acutissimâ*, ut vertit Hieronymus, æquivocatione inductus vocis, cùm per צור, & saxum, vel petra, & acutus culter significetur, ut [k] Tremelius observavit, sed) cultro, tùm domestico, tùm pastorali instrumento, præputium puerulo amputavit, & ad pedes projiciens, sui facti impatiens, exclamavit: *Sponsus sanguinum es mihi*; maritus sanguinarius; cujus sanguis, non nisi infantuli sanguine, est redimendus. Jehova tamen hanc seram obedientiam, fœmineâ factam manu, ità bono, placidoque accepit animo, ut ferire desisteret. Sedata est ira Domini, quâ priùs est accensus; & muliebri officio intercedente, virile peccatum abrumpitur.

[k] In Exo. 4.25.

3 Mulieris hujus facinus, & antiquis temporibus, & præsenti nostro seculo, materiam disputandi suppeditavit. Siquidem cùm in locum Circumcisionis, noster accesserit Baptismus, eademque utriusque Sacramenti, Israëlitici, & nostri ratio sit; idem scopus etiam, & finis amborum; ad fidelium liberos, sacris initiandos; ad distinguendos, à reliquo orbis grege; ad internam mundationem, & affectuum amputationem, contestandam: cumque & hujus, & illius contemptus, simili luendus sit vindictâ; ut, qui [l] characterem non acceperit, ex albo populi Dei, sit expungendus; si necessitas invincibilis, & irrefragabilis ingruat, ut loquuntur Scholastici, ut non possit accersi sacerdos, qui lavachro regenerationis, infantulum abluat; quid ni licebit obstetriculæ, aut mulierculæ alicui, salutaribus aquis, nuper natum lustrare; adjectis, quæ Baptismi sunt propria, verbis; Baptizo te in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti; ut novus hic Christianus, isto expiatus modo, & Originalis labis fœditate liberatus, si è vivis excesserit, in cœlos accipiatur? Si Tsipporæ Circumcisio, iram Domini averterit; & avertet Baptismus, per fœminam datus. Quòd si mulieri fas sit, aquam injicere; quantò magis laico, qui tùm [m] caput est fœminæ, ut Ecclesiæ Christus, tùm ad Salvatoris effigiem, & sacerdotis personam, accedit propiùs, munerique istiusmodi persolvendo, idoneus magis reperitur. Et hæc certè apud Pontificios, tam altas radices egit opinio, ut & fœminæ, sese Sacramento administrando, immiscere audeant; & Theologi ipsorum, [n] antiquiores, & [o] moderni, scriptis tueri non vereantur. Nobis autem con-

Obiectio.

[l] Genes. 17. 14. Iohan. 3. 5.

[m] Ephes. 5. 23.

[n] Lombard. li. 4. Distinct. 6.
[o] Bellarmin. de Baptismo. cap. 7.

contraria, multò magis arridet ſententia.

4 In cujus quidem controverſiæ medullam, ut penetremus; eamq; ad vivum uſque reſecemus; quid inter nos & ipſos, in Baptiſmi negotio, conveniat & interſit, operæprecium eſt, advertamus. Lotionem igitur iſtam, & tinctionem Sacramentalem, vehementi deſiderio amplectendam eſſe, & ulnis avidiſſimis excipiendam teſtamur; neque aſpernandam eſſe; aut præ negligentiâ contemnendam, ſub periculo æternæ damnationis. Quotuſquiſque enim eſt, Chriſtianorum hominum, qui ſic audeat ineptire, ut ſanctiſſimum Salvatorem, rem viliſaciendam tam [p] ſolenniter præcipere, & in [q] ſuo ipſius corpore, conſecrare voluiſſe, autumaverit? Excindetur à populo, imò è libro vitæ, delebitur nomẽ ejus, qui ità flocci, tanti precij myſterium, æſtimabit. Hucuſq; convenimus. Sed Baptiſmi receptionẽ, ità ἁπλῶς & abſolutè eſſe neceſſariã, ut qui aquis expiatoriis non ſit ablutus; de facto, ſi expiraverit, & eo ipſo, à cœleſti excludatur gaudio, negamus conſtantiſſimè. Ubi etenim, aut anima fidelis fuerit, aut firma Chriſti apprehenſio, in homine adulto; aut ubi nuper nato, acceſſerit parentum fides; eam animã credimus, ex vi fœderis inter Deum, populumq; ſuum percuſſi, in cœleſtia tabernacula ſuſcipiendam eſſe, etiamſi fluvio ſalutari privetur; cùm non ex hominis vitio, ſed ex merâ, ſolâque divinâ voluntate, cui quis poteſt reſiſtere, id contingat. Licèt etenim illud magni faciat; externo tamen ſymbolo, ità non ſe aſtringit aut alligat Deus, ut non poſſit, aut nolit, ſine ſigillo iſto quoſpiam ſalvos reddere. Eadem erat Circumciſionis ratio apud Iſraëlitas, atq; Baptiſmi

[p] Matth. 28. 19.
[q] Cap. 3. 13.

[r] Genes.17.10 apud Christianos. [r] Fœminis tamen nullis, præputium est abscissum: & quis dubitat, Deboram, Hannam, pias reliquas, cœlestia tetigisse domicilia? Id in maribus quandoque potuit fieri, quod in mulieribus quotidiè. [s] Cùm per annos quadraginta, Israëliticus populus, in eremo degeret, intermissa est Circumcisio, quoúsque in Canaan jam tandem perveniretur. Et existimandum est, multos ipsorũ proficiscẽtes in viâ interijsse. Qui si gloriâ cœlesti, eo pacto excidissent, (alia etenim inobedientiæ crimina, præsentẽ non tangunt materiã) duriusculè videatur cum ijs egisse, Pater ille spirituũ, qui ipsos, dum Circumcisionẽ non reciperent, perpetuã sibi, quotidiè, accersere vindictã passus est, neq; verbo saltẽ, adhibendũ esse remediũ, summonuit. Misericors Deus, in suum populũ, [t] quẽ dilexit unicè; queq; ex orbe universo selegisset, tam immanis esse noluit. [u] Octavo die, secandũ fuerat, omni masculo præputiũ. At [x] Davidis ille puer, in adulterio natus, die septimo expiravit; priusquàm tẽpus suscipiendi fœderis, advenisset. Qui post mortẽ infantuli, se consolatus est, David, multò magis flere, & in lachrymas erũpere, necesse habuisset; si non modò Solis conspectui, sed & visioni Dei, subreptus fuisset; quantò magis, si in gehennã protrusus, in perpetuis tormentis ingemuisset: quod ex immani [y] aliquorũ, de Baptismo sentẽtiâ, colligere non est incongruũ. Aliàs proculdubio, qui surrexit tranquillus, edoctus est David, aliàs institutus: qui è lege didicisset, Dominũ [z] *misericordiã ostensurũ, in millessimã usque generationẽ, colentiũ eũ.* Si in millessimã; in primã. Aliàs etiã, nos edocti sumus: Non enim [a] *vobis modò, sed & liberis vestris,* *facta*

[s] Iosua.5.5.
[t] Exod.19.5.
[u] Gen.17.12.
[x] 2.Sam.12.18
[y] Augustin. & Lombard. ut infrà.
[z] Exod.20.6.
[a] Act.2.39.

facta est promissio, & ijs qui à longè sunt. Et, [b] *Si radix sancta est, etiā rami*. Et cùm alter parentū, infidelis sit, propter fidē tamen, alterius credentis, [c] *liberi sancti sunt*. Si sancti, & deo accepti.

[b] Rom. 11. 16.

[c] 1. Cor. 7. 14.

5 Potuissent ista, apud animum suum, reponere Pontificij, aliaq; etiam præcisè de Baptismo dicta, non levioris mometi; ut quòd Christus dixerit, [d] *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur*; ità ad mysterij perceptionem, omni modo adhortans, & accingens; sed non addiderit, Qui verò non baptizabitur, condemnabitur; sed, *qui non crediderit, condemnabitur*: ità solam fidem, ex simplici necessitate, saluti subservire & conferre demonstrās. Itidem, quòd Johannis ille locus, [e] *Amen, amen, dico tibi, nisi quis genitus fuerit, ex aquâ & spiritu, non potest introire, in regnum Dei*, testante Papistarum antiquorum, Coryphæo, magistro Sententiarum, [f] *de illis intelligendus est, qui possunt & contemnunt baptizari*: vel de internâ regeneratione. Eóque etiam loco non per solum aquæ Baptismum, fieri regenerationem, profitetur, sed & per pœnitentiam: (acsi ipsa satis conduceret:) & per sanguinem. Et id non modò tuetur Lombardus, sed, & [g] Aquinas, & omnes ipsorum asseclæ, Baptismum sanguinis, (triplicem etenim [h] faciunt, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis, Fluminis per aquam, Flaminis per Spiritum Sanctum, & Sanguinis per Martyriū) immediatam cœlo, viam aperire. Etiamsi fluminis nō accesserit ablutio; satisfaciet tamē, siquis Martyriū pro Christo, passus fuerit, ut ad dextram Salvatoris admoveatur. Et hoc ipsum Augustinus, durus alioqui infantum pater, affirmat: [i] *Quicunque etiam non*

[d] Marc. 16. 16.

[e] Iohan. 3. 5.

[f] Lombard. li. 4 Sentent. Dist. 4.

[g] Thom. Aqui part. 3 q. 66. Artic. 12.

[h] Th. Aq. part 3. q. 66. Art. 11.

[i] August. de civitate Dei. 13. 7

non percepto, regenerationis lavachro, pro Christi cõfeßione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Quid quòd idem Augustinus, in istâ quæstione, quod ad adultos spectat, tam procul, ab eo abest, ut non baptisato, salutem simpliciter neget, ut, si & Fluminis, & Sanguinis, desit purgatio, non defore tamen aliquibus, vitam æternã arbitretur. In [k] Quæstionibus super Leviticum: Deficiente Sacramento, invisibilis sæpè sanctificat gratia; neque tamen est contemnendum Sacramentum. Sed apertiùs & luculentiùs, de Baptismo contra Donatistas, [l] *Etiam atque etiam, considerans, invenio, non tantùm paßionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere; sed etiam fidem, conversionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustijs temporũ, succurri non potest.* Et in latrone, cum Christo crucifixo, exemplum perhibet. Cui licèt ipse multotiès, videatur adversari, quod ad infantes attinet, nimis rigido & austero dato judicio; [m] Eos ipsos non baptisatos, gehennalibus torqueri pœnis, (cui etiam opinioni, [n] Magister Sententiarũ, calculum apponit suum) molliendum tamen, durius Augustini judicium, Pontificij censuerunt, & Lombardo, in Margine, Parisienses Theologi ascripserunt, *Hîc Magister non tenetur:* dùm non æternis, cruciari ipsos flammis, sed cœlestibus amoveri gaudijs, arbitrentur: neque [o] pœnâ sensus, sed pœnâ dãni plecti. Eâque de causâ, inauditum apud sacras literas, [p] infantum Limbũ, è suo cerebro cõdiderunt, in quo juxta Purgatoriũ posito, infantuli seponãtur; non cruciatibus torti, sed beatorum gaudiorum, & visionis

[k] Quæstion. 64. super Leviticum.

[l] Lib. 5. de Baptismo cõtra Donatistas.

[m] Epist. 28. ad Hieronymũ.

[n] Lombard. Lib. 4. Distinct. 1.

[o] Aquin. Sec. 2. qu. 79 Art. 4.

[p] Supplem. Aqu. in p. 3. q. 69. Art. 6.

visionis Dei expertes. Ita dum à verâ pietatis viâ, homines distrahantur, in sententias, inter se diversas miserè discerpuntur.

6 Quòd si adhùc penitiùs velimus introspicere; aut apertè, aut ex consequenti, veneranda omnis ferè, Antiquitatis canicies pro nobis consistit. Equidē non laudo, Constantini Magni factū; citabo tamen. [q] Illustris ille Imperator, & pro Jesu Christo Antesignanus, ad extremos vitæ dies, sui Baptismum distulit, in fluvio Jordane, ubi [r] Christus, à Johanne tinctus est, lavari desiderans. Si salutē non posse recipi, sine isto sigillo, sibi in mentē induxisset, quotidianum animę suę discrimen, tā pius, prudensque Princeps, non subijsset; dū morte repentinâ, aut in bello, aut in lecto, aut alio quovis modo, potuisset occumbere. [s] Jovianus Imperator, sanus satis, & incolumis, cùm cubitum iret, in lectulo, manè, mortuus est repertus. Quid si istud Constantino, quod pio viro Joviano, accidisset? Quod contingere cuiquam potest, cuivis potest. [t] Valentinianus Imperator, cùm adversus Sarmatas Quadosque fremeret, Illiricū vastātes; ita vocē distendit suam, ut mortuus intercideret; cùm adhùc, salutaribus non esset expiatus aquis. In numero tamen Christianorum Imperatorum, hunc ipsum, ob pietatis officia, & indicia antecedentia, referre solemus. Imò quod ampliùs est, sanctissimus Ambrosius, [u] de ipsius obitu funebrem habens orationem, non dubitat, quin præ Baptismi desiderio, quo tenebatur, salvus fieret; Deo pij Imperatoris voluntatem accipiente. *Si affectus ægritudine distulißet, tamen non penitùs à tuâ misericordiâ, esset alienus, Domine, qui celeritate temporis esset,* non

[q] Euseb. de vita Constantini lib. 4. 62.
[r] Mat. 3. 6. 16.
[s] Sozomē. 6. 6.
[t] Hieronym. Epist. 19. Tomo nono. Ammianus Marcellinus li. 30.
[u] Ambros. de obitu Valentiniani.

non voluntate fraudatus. Et ut ista de senioribus, sic de infantulis, quæ sequuntur. [x] Thessalicæ Ecclesię, referente Socrate, in anno, semel tantùm, id erat, festo Paschatis, baptizabant. *Ob quam causam omnes*, ut ipse loquitur, *paucis admodùm exceptis, absq; Baptismo, moriebantur*. [y] Romana, uti videtur, Ecclesia, antiquitùs in Paschate, & Pentecoste. Idipsum de Africanâ, testatur [z] Tertullianus. Et quamlibet ingruente necessitate mortis, cuiquam petenti, aliàs non denegarent, (ità etenim Leo Papa: [a] *Baptizandi duo tantùm tempora, id est Pascha, & Pentecostes, servabantur. Sed sic ad has duas festivitates, connexas sibimet, atque cognatas, incolumium, & in pacis securitate degentium, libera vota differimus; ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustijs, in timore naufragij, nullo tempore, hoc veræ salutis remediũ, cuiquam, denegemus*) quota tamen pars infantum, subito mortis jaculo, intercepta, sine Sacramento adhibito, expiravit. Quod de ijs recentioribus dicendum est, de quibus [b] Osorius, Pontificiorum non minimus, de rebus gestis Emanuelis Lusitani mentionem facit. Christianos, enim ait, nuper repertos esse, in Cranganore Indię, qui à Thomâ vsque Apostolo, propagatam suam fidem, ad nostra vsque tempora, retinuerunt. Horũ, ille aliquot enumerat cerimonias; inter reliquas verò, de Baptismo, sic: *Infantes nullo modo, ante quadragesimum diem, nisi periculum aliquod impendêre ipsorum vitæ, perspectum fuerit, sacris aquis expiantur*. Imprudenter sanè, hæ omnes Ecclesiæ, (& in ijs antiquior Romana) imò insigniter impiè: si impossibile sit, quenquam mortalium, cœlestem vitam ingredi,

[x] Socrat. Histor. Eccles. lib. 5. 21.

[y] Leo Papa ut infrà.

[z] Tertullian. de Baptismo.

[a] Leonis Papę Epist. 62. in Conciliis generalibus.

[b] Osorius de rebus gestis Emanuelis. lib. 3.

ingredi, sacro fonte non intinctum; cùm inopinatâ morte, perierint certè, infantuli sæpenumerò. Multò tutiùs, Ecclesiæ Europææ Reformatæ, quæ Dominico quovis die, sacratã undam porrigunt; ne vel infirmis dare scandalum, vel de Baptismo, negligentiùs & viliùs sentire, videantur. Qui plura velit cernere, in præsenti quæstione, [c] Bernardum consulat, qui Epistolâ septimâ & septuagesimâ, egregiè disputat, hominem non baptizatum, posse ad salutem æternã pervenire; si non contemnat Sacramentum, sed morte præoccupatus, careat.

[c] Bernard. Epistola 77.

7 Tantâ sanè nube testium, circumvallati sumus; Scripturarum, Ecclesiarum, Patrum, Scholasticorum, quibus freti, de puerulis sine vitâ nascentibus, aut sine Sacramento abreptis, in æterna gaudia, per Dei misericordiam recipiendis, non diffidimus; si parentes in Christum credant. Sed ut in multis alijs, ita in re isthâc, error nimis inveteratus, Pontificios ita invasit, & possedit totos, ut nolint fidem adhibere. Ideoque ut miserorum parentum conscientias affligunt, & discruciant; dum & cœlo animas, & Christianâ, quam appellant, sepulturâ, in templo scilicet, aut cæmiterio, corpora secludant; sic abutendi sacramento, alijs ansam præbent, cùm ad media illegitima, & illicita, fugere permittant, aut potiùs doceant. Hinc & laici, & quod multò est absurdius, mulierculæ & fœminæ, acsi non sacerdotes essent, sed sacerdotissæ, baptizare præsumũt; se puerulo moribundo, Christianum opus, & charitate plenum, impertire cogitantes. Zelo sanè fervido, at [d] eo qui caret scientiâ. Potentissima est superstitio multùm inolita; & ad nefas nonnunquam

[d] Rom. 10.2.

 impellit.

impellit. Utinam in florentissimâ nostrâ Angliâ, ità populus ubique, sermone veritatis vivo institueretur, ut ab actibus hujusmodi, temperaret semper manus. Sed verendum est, ne ut olim, sub crassiore ignorantiâ, sic & hodiè alicubi, hoc contingat; ut si inter pariendum, periculum ingruat, ne moriatur infans; aut obstetrix, aut alia circumstans fœmina, immittat aquam. Quâ in re, tanta antehàc crevit audacia, ut si infantulus, tanquam [e] Zarah ille Tamaris, ex utero materno solam manum extrusisset; vel manum baptizarent; dum adhùc, num masculus esset infans, aut fœmina, non intelligerent. Idque quò tutiùs fieret, solebant tale nomẽ indere, quod utriusq; sexus commune esset; ut apud nostrates, Franciscus, et Frãcisca, Philippus, & Philippa, quæ Anglicè idẽ sonãt. Non est difficile, viris Theologis, prudẽtibus & oculatis, ex matronis senioribus, & sanioribus, ista inter sermocinãdum extorquere, & seipsos ità in præsenti negotio erudire.

[e] Gen. 38. 28.

8 Facinus sanè istud est temerariũ, & præsumptuosum, vel in laico, vel in fœminâ. Neq; uxor Mosis, nostra Tsippora, tale factum tanquàm legitimũ, tuetur. Cujus licèt exemplum, à doctis & indoctis, ad hoc citari soleat, ad rem istam tamen propugnandam, satis præsidij in se non habet. Siquidem si Tsippora, idipsum facere aggrederetur, quod, num fas sit, vel nefas, disputari queat, & meritò; num & alij, sic deinceps? Cùm quod [f] ex fide non est, præsertim in tanto mysterio, peccatum sit. Sanctorum exempla, in omnibus imitari, periculosum est. Davidem in omnibus non æmulamur; nedùm fœminam marito tam incommodam, ut [g] obstrependo, & exclamãdo

[f] Rom. 14. 23.

[g] Exod. 4. 25.

tur-

turbaret, quemadmodum rectè [h] Calvinus, (quocũque [i] Bellarminus oblatret modo:) & tam importunam, ut ad patrem remittere coactus sit maritus, ne in officio impediret, (ut [k] probabiliter colligitur) observamus, ac cum honore suspicimus; & eoúsque, ut omnia illius vestigia persequamur. Si objiciatur, ut solet, discessisse Deum, sedatâ irâ, & misso facto Mose, cùm uxorcula filiolũ circũcideret, ideoqúe illud facinus, suo judicio comprobâsse, quid ni de eo etiã ambigatur? Imperatũ etenim aliquando est Obstetricibus, ut [l] Israëlitarũ masculos, in puerperiis occiderent, Noluerũt imperatis auscultare, sed mẽdacio Pharaonẽ circũvenerunt. Benedixit ergò Deus, obstetricibus deinceps: sed num quià mẽtitę sũt? Num quis earũ exẽplo, mentiri edíscet, & malũ libẽs faciet, ut succedat bonũ? facit perperàm qui sic facit, ut priori quęstione demonstravi. [m] *Non quià mentitæ sunt, benedixit Deus*, ut inquit Augustinus, *sed quià in homines Dei, misericordes fuerunt*. Ità manũ, poterat Deus suã, subducere Mosi; non quòd circũcideret fœmina, sed quià tandẽ, uterq;, suo malo, divino ministerio, utcunque, parêre didicissent. At si cedere velimus, (quod sub judice jam est) non peccâsse Tsipporam, in Sacramenro imprimẽdo; unde laico aut mulieri, ex illius exemplo baptizare permittetur? Est etenim alia Circumcisionis ratio; alia Baptismi; in administrandi modo. Annotavit [n] Calvinus, & rectè, in antiquo omni fœdere, & veteri Testamento, non esse expressum cujus manu, περιτομὴ daretur: num sacerdotis, aut patrisfamiliàs, aut viri, aut fœminæ. [o] Jubetur Abrahamus Ismaëli, & familiæ suæ, præputium

[h] Calv. instit. 4.15.22.
[i] Bellarmin. Tomo.2. De Baptismo. c.7.
[k] Exod. 18.2.
[l] Exod. 1, 16.
[m] Augustin. contra mendacium c.15.
[n] Calvin. Instit. lib.4.15.
[o] Gen. 17.10.

præputium amputare. Si urgere velit quiſquam, Abrahamo, ut Domino domus, & Regis & Sacerdotis, & Prophetæ munera incubuiſſe; & fuiſſe adhùc in [p] lumbis ejus Levi, cui poſteà ſacerdotium commiſſum eſt; ideoque ſub Sacrifici nomine, ſignaculum illud indidiſſe, reſpondetur facilè, meram eam eſſe conjecturam; cùm ab illo, tanquam à rege aut laico, æquè poterat id negotium adminiſtrari. Ipſe [q] Jehoſua princeps, Iſraëlitas in Gilgale, circumcidiſſe dicitur. Num per populum, vel Levitas, id tranſegerit opus, diſerta non fit mentio. [r] Circumciſus eſt Chriſtus; ſed cujus manu, non apparet. Ità nuſquàm conſtat è ſacris literis, id cuiquam certæ perſonæ, fuiſſe injunctum, neque ex Joſepho toto perlecto, nec Philone Judæo, de Circumciſione, id poteram animadvertere.

[p] Hebr. 7. 10.
[q] Ioſua. 5. 2.
[r] Luc. 2. 21.

9 Sed ad verbi Concionatores, baptizandi curam ſpectare, & non ad alios, ipſe Chriſtus teſtis eſt. Apoſtolis dixit, [ſ] *profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & Spiritûs Sancti*: ut, quibus baptizandi, iis etiam prædicandi, incumbat officium. Ità apud [t] Marcum, cùm annunciationis verbi, meminiſſet priùs; de baptizando, alia ſtatim ſubjungit. Per Johannem Baptiſtam, præconem pœnitentiæ, cepit primordium hæc ablutio; & per Apoſtolos Chriſti, & miniſtros Evangelij deinceps propagata eſt. Neque quenquam, huic operi appoſuiſſe manus in Scripturâ legimus, niſi priùs per Sanctum Spiritum, in numerum Præconum, & Concionatorum verbi, cooptatus eſſet. Talis

[ſ] Matth. 28. 19.
[t] Marc. 16. 15. 16.

lis etenim fuerat, Philippus Diaconus, in quo celebrem exceptionem, contra doctrinam hanc, se reperisse, Bellarminus arbitratur. [a] Nihil etenim potest esse manifestius, quàm quòd Evangelij prędicandi, munus acceperit, & præstiterit; priusquàm baptizaverit. Cùm igitur, qui ex populo sint, concionandi provinciam, non debeant arripere, ne cum [x] Pseudoprophetis, cùm non mittantur, exire, & currere videantur; cumque fœminæ, ab [y] Apostolo, disertè sit inhibitum, ne docere palàm audeat; dispar longè est ratio Baptismi apud nos, quàm præputium auferendi, apud Tsipporam Mosis. Prohibendum igitur est, ne vel sub superstitionis specie; aut charitatis obsequio; aut intentionis piæ, salubrisque prætextu; eousque Dominum, quisquam tentare audeat, ut divino sacramento, tam mystico, tam Sancto, sacrilegas injiciat manus suas, cùm non oporteat. Qui præter mandatum Domini, alienum ignem [z] thuribulo indiderunt, Abihu, & Nadab; quamlibèt ad suffitum, ipsi Deo faciendum; igne à præsentiâ Domini, egrediente, consumpti, disparuerunt. Negligebant sacerdotes, & [a] Levitæ, Arcam Domini, humeris gestare suis, cùm ipsam, David domum reduceret; eoque proculdubio Jehovam offenderunt; sed cùm Vzzah, Arcæ è rheda prolapsuræ, admoveret dextram, ictu oculi, sic percussus est, ut mortuus expirârit. [b] Vetuisset expressè Deus, ne rem ullam sanctam, attingerent Levitæ, aut contrectarent, (hoc est, aliter quàm præscriptum fuerat,) ne morerentur. Non erat sanctior apud Israëlitas,

[a] Act. 8. 35.
[x] Ierem. 14. 14. Roman. 10. 15.
[y] 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 11.
[z] Levitic. 10. 1.
[a] 2. Sam. 6. 3.
[b] Numer. 4. 15.

raëlitas, ea ipsa Arca fœderis, quàm Baptismus apud Christianos; institutio Salvatoris; regenerationis fons; redemptionis sigillum. Cui igitur id officium, è divinis literis, non est concreditum; is ne attingito. [c] Vzziah, cùm Rex esset, sibi plura, quàm par esset, licere arbitratus, ingressus est templum, & Domino suffitum, super altare, adolere paravit. At secutus est Azariah, Sacerdotum Princeps, & cum eo, octaginta Sacerdotes Jehovæ, viri robusti; qui se intermittendo, obstiterunt, ne altare attingeret. Et cùm illic, utrinque tumultuatum esset; ipso Domino plectente, exorta est Regi, in fronte lepra, ut non modò è templo, sed ex omni cuiusquam contubernio, ad diem usque suæ mortis exturbaretur. Sic distincta, esse voluit Deus, Sacerdotum, aliorumque privatorum munia, neque rebus consecratis, profanos quosvis, se arroganter nimis, & audacter immiscere.

[c] 2. Chron. 26.16.

10 De mysterijs novi fœderis, eadem est, & similis ratio; quæ per quemvis è plebe infimâ, contaminari Author noluit. Quod in alio, Eucharistię, sacramento, manifestum satis est; quippè quod è generali consensu Ecclesiæ; sacerdotis solius manu, administrandum est. De altero: Quibus, claves, regni cœlorum, conservandas Deus tradidit, ijs etiam, Baptismi dispensationem concredidit. Sed non claves dedit laicis; non porrexit fœminis. [d] Innocentius tertius Papa, cùm fœminam quandam, sese actibus Sacerdotalibus, ingerere cognovisset, à traditione clavium, ratione ductâ, severè interdixit. *Nova quædam, nostris auribus sunt intimata*

[d] Decretal. li. 5. Titulo. 38.

timata, quòd Abbatissæ, Moniales proprias benedicunt; ipsarum quoque confessiones, in criminibus audiunt; & legentes Evangelium, præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit, pariter & absurdum; mandamus, quatenùs, ne id de cætero fiat, curetis firmiter inhibere. Quià licèt beatissima virgo, dignior, & excellentior fuerit, Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus, claves regni cœlorum, commisit. Tantam sanè habent Sacramenta, cum istis affinitatem; ut ab ijs, meo judicio, simili oporteat abstinere modo, ex simili ratione. Ex mulierculaarum parte, considerârunt istæc probè, & abusum amovendum censuerunt, (ut apparet) Patres in Concilio Carthaginiensi quarto congregati, qui Canone sanxerunt, [e] *Mulier quamvis docta, & sancta, viros in conventu, docere non præsumat:* At simpliciter, & sine limitatione, [f] *Mulier baptizare non præsumat.* In quo Canone citando, aperta [g] Lombardi, & [h] Gratiani fraus, digna est quæ castigetur; qui ex suo addiderunt, cerebro, *Mulier baptizare non præsumat, nisi cogente necessitate*; quæ verba *nisi cogente necessitate*, in Concilij Edicto non reperiuntur, teste ipso [i] Bellarmino. *Maledicta est Glossa, quæ corrumpit textum.* De duobus istis, ut & de Magistro Scholasticæ Historiæ, Petro Comestore, refertur [k] fabula; fuisse germanos, & uterinos fratres, ex eâdem fœminâ, adulterio conceptos. Num verè, parum refert: ego potiùs contrarium sentio, propter seculi temporumq; diversitatem, in quibus vixerunt: at dubitare non est opus, quin ut [l] Simeon,

[e] Concil. Carthagin. 4. Canone 99.

[f] Can. 100.

[g] Lib. 4. Sentét. Distinct. 6.

[h] Parte 3. de consecratione, Dist. 4 19.

[i] Bellarmin. de Baptismo. cap 7.

[k] In præfatione corporis Iuris Canonici.

[l] Gen. 49. 5.

& Lèvi, sic & duo isti, fratres fuerint in malitiâ, qui sua, antiquis Patrum Orthodoxorum scriptis, assuere non sunt veriti. Noluerunt fœminis, baptizandi libertatem penitùs auferri.

11 Tertullianus in suo, quem de Baptismo edidit, tractatu, [m] laico, necessitatis tempore, ut vulgò appellatur, aquis lustrare sacris permittit; nullo tamen modo, mulierem sinit baptizare. Idquod alibi etiam habet, [n] *Non permittitur mulieri in Ecclesiâ loqui, sed nec docere nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officij, sortem sibi vendicare.* Ubi tingere, baptizare significat, testibus [o] Pontificijs. Huic accedit Epiphanius, qui Marcioni tanquam hæreticum quiddam objicit: [p] *permittit etiam mulieribus, ut dent baptisma;* Et [q] alibi, ipsi Virgini Mariæ, non licuisse baptizare asserit; tum etenim ipsa, Christum, inquit, aquis aspersisset, neque ut, Joannes Baptista faceret, passa fuisset. Quæ omnia, [r] Bellarminus, intelligenda asserit, (nisi urgeret necessitas:) at absolutè, & sine exceptione, loquuntur Tertullianus, & Epiphanius; & simplicem non esse, Baptismi necessitatem, ad salutem, satis superiùs demonstratum est. Sicqúe frivolæ illius & propostere, sunt exceptiones. Ità interdictum fuisse in Baptismo, ministerium fœminarum, apud antiquam Ecclesiam manifestum est. De eo autem, qui per laicos fiebat, ut dicam, quod sentio: Cupierunt antiqui Patres, ut ad salutarem fontem, omnes accederent, idqúe eò (uti verisimile est) ingeminârunt magis, quò & persecutionis fervor, & Gẽtiliũ, Christianismum deridentiũ & subsannantium, copia, & authoritas,

[m] Tertul. de Baptismo.

[n] De velandis virginibus.

[o] Beatus Rhenan. commenter. in hunc locum. Bellarm. loco suprà citato.

[p] Epiphan. l. 1. Hæresi. 24.

[q] Lib. 3. Hæresi 79.

[r] Bellarm. de Baptismo c. 7.

authoritas accessuros magis deterreret. Ad id igitur efficiendũ, conniventiâ quâdã tolerârunt laicos, mysterijs infantulos initiare. Et cùm semel in persecutionis fervore, ea increbruisset opinio, succedentibus temporibus latiùs propagata est. Unde etiam Hieronymus, junior tamẽ uti arbitror, & fervidior, contra Luciferianos, [s] *Baptizare frequenter, si necessitas cogit, scimus etiam laicis licere*. Valuisset consuetudo, eamq; aut Hieronymus, aut alij aliquot antiquorum, accuratè ad stateram, aut trutinam non exegerunt, aut perpenderunt; sed cum alijs, à majoribus, receptis, amplexi sunt, sine disquisitione, aut discussione; ut [t] alicubi, de Purgatorio, opinionem, Augustinus, ab antiquioribus derivatam, accipit; licèt [u] alibi, non sine dubitatione, & hæsitatione fluctuante. Et ut istud potiùs credam, [x] illud facit Augustini, ubi aliquantò penitiùs rem discutiens, Baptismum per manum viri laici, à peccato non audet eximere, ut infrà demonstrabitur. Aut, ut Moses aliquando, præ duritiâ cordium, Israëlitas passus est, [y] divortij, repudijvè libellum, in causis levioribus dare, sic prę infirmitate hominum, aut duritiâ aliquorum, laicos, mysteriis imbuere passi sunt. Quod pro certo existimo, in causâ fuisse, cur in regno olim nostro, qui abolitâ superstitione, preces nostras, & Liturgiam, in certam formam librumqúe redegerunt, Privati Baptismi, mentionem subintulerunt; non quòd Baptismum datum per laicos, potissimùm autem per fœminas, legitimum esse, arbitrati fuissent, sed ne primis Evangelii reuocandi auspiciis, indoctam, & insciam multitudinem, à verâ pietate deterrerent; illud ingerendo

[s] Hieron. contra Luciferianos.

[t] August. de verbis Apostoli. Serm. 32. De octo quæstionibus Dulcitii. De civit. Dei. 21. 16. 24.

[u] Enchirid. ad Laurentium. 68. 69. De tempore Sermone. 233

[x] Lib. 2. contra epistolam Parmeniani.

redo, quòd imbibitę per multos annos opinioni, expresse adeò, adversaretur. Quâ in re, fidem mihi faciunt multa, in nostrâ Ecclesiâ, ab illo tempore facta, quibus, homini prudenti appareat, Rectores venerandos, eam voluisse opinionem, paulatim, & pedetentim, ab hominum animis, amotam, & evulsam. Sed toleratio, & permissio, fas & justum esse, quod ad tempus toleratur, nō cōcludit.[z] Verùm qui Liturgiæ nostræ circumstantias, accuratissimè examinavit, ostendit ex verbis ipsis, nihil posse colligi, de Baptismo fœminarum intellecto; & Baptismum privatum, nihil aliud significare arbitratur, quàm qui in domo privatâ, non in templo publicè, administratur, qui per solum scilicet sacerdotem accersitum detur, non per laicum aut fœminam. Sed ista jam tandem missa faciamus, cùm primò, an mera sit sacri fontis necessitas, ad salutem acquirendā, & secundò, num rectè, secusvé faciant, & laici, & mulieres baptizantes, disputaverimus. Sed ex istis, alia suppullulat dubitatio, non minori digna examinatione.

[z] Ioan. Whitgiftus. Archieps Cantuariensis. contra T.G. Tract. 9. cap. 3.

12 In Ecclesiâ nostrâ, pro concesso, uti arbitror, doctiores omnes, & Theologi, nunc habent, profanas, & sacrilegas, illos omnes, huic Sacramento, admovere manus, qui, cùm clavium potestatem, non habuerint concreditam, id audeant attrectare. Verùm detur, id quod opus est, apud rudem plebeculam, & superstitiosos dari; quòd nefario nimis ausu, aut iste, aut illa, infantulum baptizârit; quid ministro Evangelii in re isthâc faciendum est? Si supervixerit puerulus, num pro iam initiato recensendus est? aut regerenda est aqua, & mysterium

iterandum?

iterandũ? Salebrosa verè quęstio, & quæ suas difficultates insignes habet. Nam persona ministrãtis, ad rem ipsã Sacramẽti, videtur facere, cùm pastoribus Ecclesię, iisq; solis eam provinciã imposuerit Domin⁹. Hincq; nõ [a] defuerũt, qui fœminę manu datã talẽ ablutionẽ, nihil magis ad Baptismũ facere, asseverãrũt, quàm ordinariã aliã aliquã, & quotidianã lavationẽ. Verũtamẽ qui laboriosiùs cõsiderãrũt, & perpetuũ, eâ in re, Christianorũ antiquiorũ, cõsẽsũ expẽderũt; ministrãtis personã, nõ de Esse Sacramẽti, sed de benè Esse judicãrũt. Baptismi formam, ut loquuntur Scholę, injectionẽ aquę, in nomine Trinitatis, existimãrũt. Piè igitur fit, si minister tãgat solus; at fit etiã, si tãgat alius. Quã in re, eandẽ personę Sacerdotis, rationẽ esse censent, in Baptismo; quę est cõsensus parentũ, in matrimonio cõtrahendo. Piè facit, qui parẽti auscultat suo; adeoq; impiè, qui parẽtis pij, consensum negligit, & repudiat; sed si filius, ita impiè, contraxerit matrimoniũ, pro cõiugio rato habendũ est; quando reliquæ matrimonii circumstantię, cõpletæ fuerint. Malè igitur factũ est, si laicus; pejùs factũ, si fœmina, rem sacrosanctam hanc attigerit. Sed factum est; et quod factũ est, infectum esse non potest. Habet locum in rẽ isthâc, illud Juris Axioma, *Multa fieri non debent, quæ tamen facta valent.* Aspersit ergò lympham, & in nomine patris, & filij, & spiritus sancti benedixit, qui non debuit. Sufficere certè, ad admissionẽ in numerũ fidelium, opinamur huiusque; nec ingeminãdã esse aquã. Christi causâ, cuius est quod datur, & non hominis, est efficax hęc admissio. Et dũ in ovilis ostiũ, intromittatur anima, parũ refert per quẽ, nũ per furẽ, aut ipsũ custodẽ ianuę,

[a] T. Cartwright in defensione Admonitionis ad parliamentum Angliæ.

 intromit-

intromittatur. Dedit modò nomen Christo, & pro milite est accensus. Si quis id, quod non oportuit, usurpaverit, id agenti, & non patienti, vertendum est vitio. Parùm scimus, num ad Tsipporā, sui nati Circūcisio, ex instituto divino, possit spectare; sed cùm vel per fas, vel nefas, præputium abstulisset, non alium accessisse, qui rursùs circumcideret, invenimus. Sicut, non secundò [b] circumcisum fuisse, qui à Samaritanis ad Judæos transijsset, dicit Augustinus, de Baptismo Hæreticorū disputans. Est una Circūcisio, sicut [c] *unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

[b] August. contra Cresconiū Grammaticū. lib. 4.

[c] Ephes. 4. 5.

[d] Sozomen. lib. 2. 16.

13 Celeberrima est historia apud [d] Sozomenū, de Alexandro, Alexandriæ Episcopo, & Athanasio, qui posteà dictus est Magnus. Cùm Episcopus ille, convivas, qui pranderent secum, in littore deambulans, expectaret, puerulorum vidit cætum, in arenâ colludentiū; quos ex gestibus ipsorum, divini cultus, ceremonias aliquot, repræsentare perspexerat, à lōgè stans. Et quādiù nihil, vel petulanter satis, vel audacter nimis, conspexisset transigi, delectatione aliquâ capiebatur. Sed cùm ad altiora, videret pergere, accersit è Clero aliquos, nō procul degentes, quibus etiam juvenculorū, ostendit lusus. Sed cùm tandem isti, pueros advocâssent; ex ipsorum confessione, hoc edidicerunt, Athanasium scilicet, jam puerum, Episcopi personam, inter jocandum, induentem, adolescentes alios, mysterijs Christianis nō imbutos, baptizâsse. Et cùm formā actionis, & rei circumstantias, accuratè disquisijssent, pro Ecclesiæ ritu, transacta ordine esse omnia, intellexerunt. Testante Sozomeno, Alexander iste, tam Sāctus vir, & prudens, Baptismum Athanasij pro rato habuit, nec iterandum

credi-

credidit; sed in Catalogum fidelium, omnes libentissimè ascripsit, qui ab ipso puero, tinctionem accepissent. Quæ istis contradicerent, & ex professo oppugnarent, rationes sanas & solidas, exindè non reperio. In Augustino pervolvendo, celebria duo observavi loca, ad negocium præsens, non mediocriter facientia. Est alter [e] Libro secundo cōtra Epistolam Parmeniani. *Etsi laicus, Baptismum pereunti dederit, necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dādum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit, repetendum esse. Nullà etenim cogente necessitate, si fiat, alieni muneris usurpatio est; si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nullà necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Modestè Augustinus, uti semper, & cautè, *nescio an piè quisquam dixerit repetendum esse*, sed cùm posteà, dari Baptismum asseveraverit; neque potest Sacerdos, quicquam dare ampliùs; & Sacerdotis Baptismus, regerendus non sit; idem est, acsi assereret, repetendum non esse. Sed & obiter, operæprecium est advertere, se, Baptismum licitum, illicitè posse dari, affirmare; & laicalem aspersionem, licèt necessitate factam, à delicto, licèt veniali, & leviori, non audere omninò & absolutè, excusare. Quod id est, quod suprà, ex Augustino, innuebam.

[e] August. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani.

14 At secundum Augustini testimonium, est amplissimum: [f] *Si quis fortè, me, in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret, ut dicerem, quid ipse sentirem; si eo modo*

[f] August. lib. 7. de Baptismo contra Donatistas.

do affectus essem, quo eram, cùm ista dictarem, nequaquàm dubitarem, habere eos Baptismum, qui ubicunque, & à quibuscunque, illud, verbis Evangelicis cōsecratū, sine suâ simulatione, & cū aliquâ fide accepisset, quanquàm eis ad salutem spiritualem, non prodesset, si charitate caruissent, quâ Catholicæ, insererentur Ecclesiæ. Si enim habeā, inquit, fidem, ut montes transferā, charitatem autem non habeā, nihil sum. Sicut iam præteritis Maiorum statutis, nō dubito, etiam illos habere Baptismū, qui quamvis fallaciter id accipiunt, in Ecclesiâ tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia, ab ÿs, in quorum societate id accipitur; de quibus dicitur, Ex nobis exierūt. Pergit adhùc: *Ubi autem, neque societas ulla esset, ità credentium, neq; ille, qui ibi acciperet, ità crederet, sed totum ludicrè, & mimicè, & iaculariter ageretur, utrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per alicuius revelationis oraculū, concordi oratione, & impensis supplici devotione gemitibus, implorandum esse censerē.* Hucusque Augustinus. In quibus profitetur se non audere, id pro Baptismo repudiare, quod à quovis, sine fide, cuivis sine fide, idque ludicrè tantùm, & mimicè, & joculaiter tribueretur. Sed expresse affirmat, eos, ex illius sententiâ, Baptismum habere, qui ubicunque illud, & à quibuscunque, verbis Evangelicis consecratum, acceperunt. Ex illius igitur opinione sobrijssimâ; nec post fœminam, nec post quemlibet, ablutio mystica seriò data, & verbis debitis, est redintegranda.

15 Succedunt minoris ordinis, succenturiati milites, similia suffragia perhibentes, præsertim è Gratiano. Isidorus primò; [g] *Romanus Pontifex non hominē, iudicat,*

[g] Gratian. parte 3. de Cōsecratione. Distinct. 4. 22.

dicat, qui baptizat, sed spiritū dei subministrare gratiā Baptismi, licet Paganus sit, qui baptizat. Secundò, Nicholaus Papa, ad consulta Bulgarorū respondens: *A*[h] *quodā Iudæo, nescitis, utrùm Christiano, an Pagano, multos in patriâ vestrâ, baptizatos asseritis; & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi baptizati sunt, quià non illorū, sed eius est, rebaptizari non debent*. Et Gratianus ipse. [i] *Ecce quandoque ab Hæreticis, Baptisma, cum suâ virtute accipitur, cuius tam necessaria administratio est, ut nec etiam à Paganis datum, possit reiterari*. Quorū ego recenseo testimonia, non quòd ex eorum judicio, dijudicandā esse litem arbitrer: (tanti etenim ipsos non facio) sed ut & antiquorum, & recentiorum, & Pontificiorū consensum, in re isthâc, patefaciam. Cui etiam, & calculum, nostra adjicit suum, Ecclesia; quæ cùm, facilitate largâ (ità etenim appellare licet, si ad laicorum & fœminarum Baptismum extendatur, quod negari, suprà docui) propter cordis duritiam, aut plebis ignorantiam, privatam tinctionem, ad tempus tolerasset, tolerasset inquā, (puto sanè, paulisper tantùm) quoad populus copiosiùs instrueretur; hanc tandem fert sententiam. [k] *Nec dubitet quisquā, quin infantulus eo modo baptizatus, & legitimè, & sufficienter baptizetur, neque debeat in templo rebaptizari*. Hæc eorū erat sanctorum virorū determinatio, qui (ut humana passa est infirmitas, & ferebant illa tempora) superstitioni Papisticæ amovendæ, & divini cultus officijs propagandis, insudârunt; & quorum aliquot, suo sanguine veritatem Christi posteà consignârunt.

[h] Ibi

[i] Gratian. part. 2 causa. 1. Quęst. 1. 59.

[k] Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ in privato Baptismo.

16 Nostra etiam tempora, quantùm ego novi, ab eorum determinatione non discesserunt, sed tanquàm depositum apud nos, & traditum, custodiunt. Adjectio etenim elementi, & invocatio spiritus sancti ea est, quam potissimum respiciunt, & non persona dantis: hoc autem, quoad Baptismi substantiam. Quâ in re, uti ego existimo, sic se habet negotium, ut in generatione carnali: in regeneratione scilicet, ut in generatione. Baptizari etenim, est quasi in Ecclesiam generari. Et ut nil, sæpiùs quàm semel generatur, ita decenter institutum fuit, ut nemo sæpiùs, quàm semel baptizaretur. At ut in productione infantuli, & emissione in lucem, obstetriculæ opera, censetur necessaria, cuius manu, & consilio, ex utero materno, incolumis, infantulus extrahatur, sic minister Evangelii, ad manum oportet, & præstò sit, quum ex labe originali, per aquam sanctificatam extrahitur, qui Adami corruptelis involvitur & irretitur. Evangelii minister, obstetricis locũ, in renovatione, & regeneratione sacramentali supplet. Veruntamen ut nonnunquam, id re ipsa contingit, [1] quod fictè, & simulatè obstetrices Israëliticæ, Pharaoni renunciárũt; fœminas nempè aliquot, sic robustas esse, ut, priusquàm accesserit obstetrix, pepererint: aut cùm præstò non fuerat, quæ debebat interesse, matrona alia vices supplet, & vicariam præstat operam: neque tamen non natum quisquam dixerit, qui jam in lucem prodierit; & pro stolido haberetur, qui infantulo, in uterum maternum, revertendum diceret, quia defuit quę adesset: Sic si in Ecclesiam generatus quisquam fuerit, per lavachrũ regenerationis, licèt ejus id non sit factum, cuius

[1] Exod. 1. 19.

debuis-

debuisset, manu, imò licèt peccaverit, et Deo displicuerit, qui manus per præsũptionẽ et ignorãtiã iniecit; nõ redintegrãdũ tamẽ esse factũ, et pietas, et ratio, et cõsensus Ecclesiæ, à quo temerè recedẽdũ nõ est, vehementer suadent. Et hoc nisi concedatur, incõmoda infinita, per universã fideliũ cõgregationẽ, exorientur. Si etenim nõ sit quisquã, Christianis imbutus mysteriis, nisi qui per Sacerdotem, omni viâ legitimum, & exceptione majorem, baptizaretur, quota hominum pars, piorum & fidelium, Christianismi signaculo indigerent? aut quis sciret pro certo, se aquis lustralibus, ut debuisset, fuisse expiatum? Sacerdotis etenim personam, induere potest, qui sacros nunquam est adeptus ordines. Sacros etiam ordines is potest recipere, qui nec ipse baptizatus, unquam extiterat. Sed & qui baptizatur, & qui ad gradum ministerij promovetur, ab Episcopo poterit consecrari, & ad Presbyteratum admitti, qui nec ipse legitimus fuerat Episcopus, nec imponendi manus, potestatẽ habuerat. Et hæc, huiusmodique, & posse, & solere, contingere dubia, prudentia, et ratio, et experientia, contestantur; ut nominatim, in rescripto [m] Nicholai Papæ ad consulta Bulgarorum; Et Canonici non frivolè, aut ex suppositione, sed occasione datâ, hæc ipsa discutiunt; ut quęstionibus reverà & bona fide exorientibus occurratur.

[m] Nicolaus Papa è Gratiano ut suprà.

17 Sic habetis doctissimi Academici, meam de facto hoc Tsipporę, longam licèt, apertam tamen sententiam; in quâ explanãdâ, ut & in aliis omnibus, quæ in his prælectionibus, aut dixerim, aut deinceps dicturus sim, si judicium meum ab alieno dis-

senserit, det veniam, aliter sentiens. Si cuiquam etenim, vel minimo servorum Dei, revelaverit aliter, è sacris literis, spiritus sanctus, non pervicaciter aut perversè renitar, sed gratulabundus, in illius, etiam pedibus ibo sententiam. Errare etenim possũ, Hęreticus esse nolo. Quòd autẽ senserim, esse Baptismum per laicum, aut fœminã, datum, facit perpetuata Ecclesię consensio, veritati divinorum eloquiorũ, quantũ ego reperio, non repugnans. Et illius sum animi, cujus, est, doctissimus [a] Hieronymus Zanchius, in eâ quęstione, Num temporalem Iurisdictionẽ, & principatum, Episcopi & Archiepiscopi Ecclesię retinere debeant: multum nempè cõsensui doctorũ & piorum, tribuendum esse, neque à receptâ ab antiquioribus temporibus sententiâ recedendum esse; nisi ubi sacræ literæ, aut disertè, aut apertâ, & necessariâ collectione, contraria doceant. Intereà tamen ista sunt, quæ hodiernâ oratione accepistis; externo Sacramẽto, non sic astringi & alligari Dei gratiam, ut sine ipso salvare, aliquando nolit. Ideoq; & diffidenter quoad Deũ, & audacter quoad se, fœminas laicosq; facere, qui baptizare aggrediuntur. Tertiò tamen cùm sigillum sit impressum, vel ab istis; non esse iterandum. Det Deus, ut in veritate perpetuò ambulemus, ut ad gloriam cœlestem tandem perducamur, cum Christo regnaturi, cui cum patre & Spiritu, sit laus, & gloria, in æternum.

[a] In observationibus super cap. 25. cõfessionis suæ.

Obser-

OBSERVATIO IN PARAGRAphum. 9. capitis praecedentis.

[o] MArtinus Bucerus, vir accuratę eruditionis, & pietatis singularis, dum distinctas enumerat Species, functionum Ecclesiasticarum; nonnullos dicit, in primævâ & puriore Ecclesiâ, ex laicis, fuisse admissos, ad sacrarum Scripturarum interpretationem, quâ etiam aliquando, in præsentiâ Episcoporum, perfuncti sunt. [p] Origenem nominat & alios: tales scilicet, in quibus singulares Spiritus Sancti, dotes elucebant; ut manifestum esset, Ecclesiæ rectoribus, ipsorum operam, non mediocriter, populo, in mysterijs fidei ediscendis, profuturam. Cui si quis adjiciat, quod habet in Confessione suâ, vir verè doctissimus [q] Hieronymus Zanchius, indefinitè loquens, *Credimus etiam per illos, administrandum esse sacrum Baptismum: per quos etiam Evangelium prædicatur*: & ex eo, talem inferat conclusionem; licere ergò laicis Baptismum dare, etiam ex principiis nostris, & testimonio Christi, [r] *profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & Spiritus sancti*; cùm ex praxi purioris Ecclesiæ, qui sacros non tetigissent ordines, Evangelium annunciarent: Respondemus, aliam habendam esse rationem, eorum, qui simpliciter laici sunt, & ex plebe promiscuè sumpti; qualibus potestas, in Ecclesiâ Pontificiâ tribuitur, aquam Baptismalem aspergendi; & contra quos ista potissimùm à nobis dirigitur controversia: Aliam autèm eorum, qui sunt instar ministrorum

[o] Bucerus in epistolam ad Ephesios. c. 4.

[p] Eusebij Eccles. historia. lib. 6. 20. ut citat Bucerus.

[q] Hieron. Zãchius confess. cap. 15. 8.

[r] Matth. 28. 19.

N Evan-

Evangelij; quique non modò præ suâ, in sacris rebus eruditione, vulgus hominum longè excellunt, sed & speciali, aperto, & communi decreto, Episcopi & aliorum, qui congregationi præsunt, ad illud officium, Scripturæ publicè interpretandæ, vocantur. Tales autem, & non alios, aperta Buceri verba notant: [f] *Alterum iam munus est, doctrinæ dispensandæ interpretatio; id est, verborũ & sententiarum, simplicior explicatio. Hoc ministerium Episcopi obibãt, & Presbyteri: nonnunquàm tamen, ex ordine Diaconorum, atque Subdiaconorum. Aliquando etiam ex laicis, ad hanc adhibebant functionem, quos deprehendissent, per spiritum sanctum, ad eam utiliter obeundam, factos idoneos. Sic Origenes etiam laicus, ad hoc munus ascitus fuit, in Ecclesiâ Cæsareæ Palæstinæ, per Alexandrum Episcopum Hierosolomitanum, & per Theoctistum, eiusdem Cæsariensis Ecclesiæ Episcopum*, & quę sequuntur. Istos ego non audeo, ad ordinariorum, & vulgarium laicorum, conditiones revocare, cùm ad Presbyteros tam propè accedant. Tales autem hodiè, præ multitudine ministrorum, in templo Dei inservientium, vix reperiuntur. An non tamen de istiusmodi laicis, sermo [t] Tertulliani & Hieronymi, laicis aliquando baptizare permittentium, intelligendus sit, & non de alijs; doctorum sit judicium.

[f] Bucerus ubi suprà.

[t] Tertull. & Hieron. ut suprà.

DE

DE ASTROLOGIA. CAPUT 3.

Iudic. 5. 20. E cœlis pugnârunt: sydera ipsa, è suis aggeribus, pugnaverunt contra Sisaram.

2. 5. Astrologi multorum cognitionem, sibi vendicant: 3. 4. Astronomiæ dignitas. 7. Nativitatum vanitas: 10, & Electionũ, 12, & Quæsitorum. 14. 15. contra Astrologiam multa. 16. 17. Quæ pro eâ afferuntur, solvuntur.

Astigare solet sæpiùs, Ecclesiam suam, æternus Deus, à Præceptis, studijsque sacris deviantem. Flagellis, virgisque suis, pro calcaribus, quę ad bonum incitent, frænisque etiam, quæ à peccato retrahant, uti consuevit. Quod, ut crebrum est, apud Deum, omni seculo; stante lege; vigente Evangelio; ita post Mosis, & Josuæ obitum, regentibus in Israële Judicibus, veritatem plus quàm cõmunem obtinuit. Cuius rei exempla non pauca, cùm facillimum sit percurrere, in eo potiùs uno, mea instabit oratio, de quo, Judicum [a] quarto dicitur; perrexisse scilicet Israëlitas, perperàm pravéque facere; ideoque Jehovam dedisse, vel vendidisse magis, ipsos, in manus Jabin, Regis Canaan, cujus militiæ præfectus, erat Sisara; potentiaque eousque

[a] Iudic. 4. 1.

qué tremenda, ut præter cætera belli instru$^{\text{men}}$ta,
nongentos haberet currus ferratos. Hic, cùm per annos viginti, Dei populo, omni modo fuisset formidabilis, incursando, rapiendo, undiquaqúe vexando; commota sunt Deo viscera, ut misericordiam ostenderet, & ut, (satis pœnarum exactum cogitans) benigniore oculo, ipsos respiceret. Insigni igitur clade, Canaanitas percussit; currus ferreos dissipavit; exercitum cecîdit; ducem Sisaram in fugam vertit; qui turpi modo, & illius ex parte, dedecoroso, fœmineâ manu interijt. Ità erat admirabilis in suis; formidabilis in hostibus, Jehova. Deborah & Barak, quorum auspicijs, proximo post Deum loco, ista parta est victoria; ne per ingratitudinem, tanti beneficij, immemores ducerentur; sicque indigni, qui reciperent; Hymno, Psalmové, ex proposito, edito, datorem victoriæ, Dominum collaudârunt; & in perpetuam rei memoriam, Canticum illud suum, posteritati commendârunt. Cujus serie, sicut multas rei gestæ circumstantias, descripserunt; ità è cœlis, contra Sisaram, exercitumque suum, pugnatum fuisse; ipsaqúe sidera, ex aggeribus suis, adversus eos dimicâsse, contestantur. Quo sermone, quid significatum habeamus, non inutile est disquirere.

2 Astrologi Judiciarij, ità etenim frequenti vocabulo, libet appellare, quos Chaldæos antiqui; Mathesim callentes, novi nuncupant, infinitam ferè, & illimitatam sideribus, planetisqué, potentiam tribuunt; ut, quorum virtute,

secretâ

secretâque influentiâ, quæ geruntur fermè omnia in terris, disponantur, & dirigantur. Hinc prędici arbitrantur, futura grandia, seditiones, pestes, bella, inundationes aquarum, Regnorum, & Monarchiarũ, erectiones, transpositiones, dissolutiones: ex ipsorum instigatione, & impulsione abditâ, in pugnas protrudi homines, adeóque, inter pręliandum, his læta, illis infausta contingere. E cœli schemate judicium faciunt, quibus, quisque nuper natus, moribus futurus sit; quâ conditione sit victurus; tenui, an beatâ; num placidis Musarum studijs, aut ferocioribus belli muniis, animum sit adiuncturus. Quousque vitæ stamen, producendum sit: num florenti ætate, sit moriendum, an decrepitâ; & num spiritus, violento interitu, aut naturali obitu, sit emittendus. Hæc ipsa, penes sidera esse; ut aliis docere cupiunt mediis, sic & sanctissimis sacræ Scripturæ testimoniis, sua dogmata suffulcire non verentur. E Genesi. [b] *fiant luminaria, in Firmamento cœli, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Et, [c] *Solem, & Lunam, & Sidera, creavit Dominus, Deus tuus, in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Et [d] Magi, ad Christum adorandum venerunt, è stellâ edocti. Nullo tamen testimonio, disertiùs edito, quàm isto; ubi pleno ore, Prophetissa conclamat, contra hostes, cœlos & stellas, pugnam exercuisse; acsi diceretur, maligno aspectu, ipsos Planetas, Sisaram fuisse intuitos; & non modò ei, infortunium prædixisse, sed & effecisse. Et sanè [e] Franciscus Valesius, cùm Astrologię universę, rationem cribrare, & ventilare, in

[b] Genes. 1. 14.

[c] Deut. 4. 19.

[d] Matth. 2. 1.

[e] Francisc. Valesius de sacrâ philosophiâ. cap. 31.

in animo habuisset; in suo, quem de sacrâ Philosophiâ, libro conscripsit, hunc potissimùm contextum seligendum censuit; (in quo, rei totius, faceret periculum) tanquàm specie tenùs, apertissimè pro ipsis facientem. Cujus sanè vestigia, ut à longè stans, observare non recuso; ità nolo premere, sed aliquantò copiosiùs, meam sententiam explicare.

3 Luculentus igitur, proculdubio est Astrorum usus, tûm ad Dei gloriam prædicandam, tûm ad cōmunem nostram vitam. [t] *Cœli enarrant gloriam Dei; & opera manuum eius, annunciat Firmamentum.* Diem, superiora corpora, discriminant, & noctem; Æstatē, & Hyemem; Ver, & Autumnum. Operationum Lunæ, certa sunt experimenta; in suâ illam Oppositione, (cùm pleno, per Solis adversos radios, imbuatur lumine) humidioribus magis dominari; medullam in ossibus; in cranio cerebrum, extenuare, & rarefacere; pure, sanieque ampliore, & exuberantiore, vulnera inficere; plantis, & satis, humore, pro alimento indigentibus, copiosius nutrimentum præbere: in æstum pleniorem, fluxum scilicet, & refluxum, accessum, recessumque insigniorem, & magis notabilem, Oceani undas commovere. Solis radij, virore terrā, vigore animantia, exhilarant: æstivam producunt siccitatem; aërem immutant; humanaque corpora, humoribus afficiunt, è quibus etiam animus, magis morosus fit; naturali tamen, & apertâ ratione: quando propter commercium, & conjunctionem tam intimam, anima, & caro, se mutuò delectentur; istius lætitia, illi gaudium adferat; tristitia, dolorem. Ista tamen, alia extrinsecùs acquisita, in humano corpore, possint efficere.

[t] Psal. 19. 1.

In-

Indubitatum est apud Medicos, Epilepticos, aut Morbo Comitiali affectos, Lunâ plenâ, aut inchoante, citiùs cadere. Compertum est nimio, (uti ipsis videtur,) suo malo, apud valetudinarios; quòd Caniculâ apparente, urentes febres, morbique acutissimi grassentur. Quid quòd pestis, si omninò invaluerit, tùm potissimùm, sæviat, atque furat? Quid quòd tùm canes, in rabiem crebriùs impellantur? Omnem igitur virtutem, syderibus negare, est aperto sensui, & rationi refragari; quibus repugnat, nemo sobrius. Etiamsi id liceat, in præsenti submonere; doceri ista non posse ἀποδεικτικῶς, & Demonstratione, à priori datâ, ut probè [g] Melancthon, & Astrologorum ingenui maximè, confitentur; sed ab effectibus, & observatis, quæ quotidiè occurrunt, & in quibus, Dei honor, non mediocriter elucescit.

[g] Philip. Melancth. 2. parte. Obiect. & Respons. cap. de viribus Stellarum. Collectore Pezelio.

4 Si velimus pergere; de Oppositionibus & Conjunctionibus Planetarum, verissima est scientia. De Eclipsibus, & defecto Orbium lumine, nec injucunda est cognitio, nec inutilis; & indubitatæ, de istis, traduntur regulæ. Neque quidquam potest esse certius, quàm quæ de motu cœli habentur; & ijs omnibus, quæ prædictiones sunt, circa propriam ipsius materiam. Ipse Firmamenti conspectus, quàm pias, de Deo meditationes, & contemplationes suggerit? Qui præ infinitâ suâ sapientiâ & potentiâ, tot lampadas, eo ordine, gradu, decôre, collocatas, constituere voluerat. Quibus, ut apud Ethnicos, Gentiles, pro similitudine imaginum, nomina confinxerunt, Coronæ, Aræ, & similium, ità non improbat Deus, sed nostræ, sub similibus, Hebraicè, appellationibus, considerationi proponit; ut ex quibus, Crea-

toris majestatem, ęstimare valeamus. Hinc apud Jobum: [h] *Qui facit* [i] *Arcturum, &* [k] *Oriona, &* [l] *Pleiadas, & interiora Austri.* Et: [m] *Spiritu suo, cælos ornavit, formavit manus eius, serpentem oblongum.* Et: [n] *An constringes delicias Pleiadum, aut lora Orionis dissolves? Educesné remotiora signa, quodq́; tempore suo? aut Arcturum cum filijs suis, duces?* Ità apud Hamosum: [o] *Opificem Pleiadum, & Orionis; qui & mutat in matutinum, densissimam umbram, & diem nocte obtenebrat.* In quibus omnibus, primò manifestũ est, Deum, tanquam aliquid glorię suę ducere, quòd ista, & hoc ordine, creaverit: Secundò, quòd signa isthęc, & Asterismos, à nobis sciri voluerit, & observari; quò fœcundiùs, ejus magnitudinem admiremur: & Tertiò, in exortu nonnullorum siderum, suaviora nobis impertiri, quàm aliàs: ut, in ortu Pleiadum, quę nobis Vergiliæ dictę sunt, quęque Vere exoriuntur, & usque ad Autumnum durant; quarum, cùm mentionem faceret, suavitatem, quam orbi inferiori afferunt, delicias Pleiadum, nuncupavit. Qui ista dicimus; Astrorum cognitionis, omnem usum non tollimus; imò absit, ut tollere conaremur; sed Astronomiæ præcepta isthęc, accipimus; colimus; observamus; in honore habemus; ipsamq́; scientiam, dignam esse, quę cum cęteris, veris Mathematicis, honoretur artibus, pronunciamus. Neque dubitamus, quin ut [p] Moses aliquando, testante Stephano Protomartyre, in omni Ægyptiorum eruditione, fuerat institutus, (ubi, non minima pars, præter Arithmeticam, & Musicam, & Geometriam, & Hieroglyphica, erat Astronomia,) & ut [q] Daniel in doctrinâ Chaldęorum, fuerat educatus; sic & adolescentes

[h] Iob. 9. 9.
[i] עש
[k] כסיל
[l] כימה
[m] Iob. 26. 13.
[n] Iob. 38. 31.
[o] Amos. 5.
[p] Act. 7. 22.
[q] Daniel. 1. 4.

centes nostri, & hominum Christianorum liberi, ad Philosophiæ, Cosmographiæ, Medicinæ, Navigationis usum, & ad sacrarum literarum, alicubi intellectum, in istis honestè doceantur, & informentur, modò semper illis in memoriam revocetur, Conditorem Deum cogitare; illi omnia ascribere; eum solum adorare; & stultitiis, ludicrisqúe alijs, ultra sobrietatem, sese non contaminare. Est modus in rebus.

5 Verum eousqúe, in nonnullis, humana processit curiositas, ut intra istos limites, se nequeant continere; sicqúe ei, quæ in se est egregia, Astronomiæ, labes, maculasqúe asperserunt: juxta illud, literati, ut sua ferebant tempora, Sarisburiensis, De nugis Curialium. [r] *Est Astronomia, nobilis, & gloriosa scientia, si clientelam suam, intra moderationis metas, cohibeat, quam si licentiori vanitate, excedat, non tam Philosophiæ species, quàm impietatis decipula est.* Istâ qui sic abutuntur, ex eorum numero sunt, qui [s] vanitatibus attendunt, & invigilant, ut est apud Jonam: aut [t] qui curiosas exercent artes, ut illi, qui libros suos combusserunt: qui omnem scrutantur motum, & actionem, ex sideribus: qui mores animi inde exquirunt; qui fatali quasi; creaturarum necessitate, res dirigi arbitrantur: qui cœlum serenum, nubilumqué, ante annum, & annos, quovis die futurum prædicunt: qui omnium rerum scientiam venditant; ut [u] Chaldæi, Magi, Astrologiqúe illi, qui Somniorum conjectores, & interpretes, haberi voluerunt. Et mirum sanè est, quousqúe affectus, & desideria, hominum non

[r] Sarisburiẽsis de nugis Curialiũ. lib. 2. 17.

[s] Ionah. 2. 8.

[t] Act. 19. 19.

[u] Daniel. 2. 7.

malorum, sed proborum & ingenuorum, præsertim verò juniorum (senioribus etenim expertis, ista sordescunt & vilescunt magis) ad talia exardescant; dũ non animo pravo, sed curiositate otiosâ ducti, & inordinatâ sciendi cupidine, quæ titillat, allecti, in his, operam non tam ponant, quàm ludant. Quibus id, tanquam laboris merces, nonnunquam contingit, ut non alijs, magis quàm sibi, præ credulitate nimiâ, imponant. Quod mirandum non est, cùm, qui summi, in hoc genere, impostores sunt, non alios, magis quàm seipsos, imaginationibus suis, circumveniant; eo sanè miserandi, utcunque aliàs, non fovendi. Horum quidem optimi, id est, modestissimi,
« & temperantissimi, audacter non pronũciant. Non
« possunt rationibus, aut argumentis concludentibus,
« nostra patefieri proposita; sed exemplis, & compertis. Inclinãt Astra, non necessitant. Sapiens dominabitur Astris. Astrologorum decreta, non sunt Prætoria. [x] *Magna certè est veritas, & fortissima.* Fidem illi, suis thesibus, & dictatis subtrahendo; vel certitudinẽ minuendo & extenuando, caliginem, tenebrasque, alienis oculis, excutiunt. Hoc istorum modo, cœlis inhiare, & futura desiderare, neque cũ ratione, neque etiam cum pietate, est conjunctum.

[x] 3. Esdr. 4. 41

6 Dei nomine, propheta Jeremias loquitur: [y] *Incedere in viam gentium istarum, ne discitote, & à signis cœlorum ne consternemini; nam statuta populorum, sunt vanitas.* Annon Chaldaïca, Babyloniaque figmenta isthæc, cùm taxet Jehova; veræ illa pietati, detrahere demonstrat? Et licèt occurrat ei loco [y] Philippus Melancthon, (qui cùm siderum spectator esset, vanitate tamen aliorum communi,

[y] Ierem. 10. 2.

[y] Melancthon Tomo 4. Declamat. 370. de iudiciis nativit. è Pezelio, ut suprà.

muni, supersedit) non prohibere Prophetam, eorum signorum observationẽ; sed metum: non quòd »
non sint metuenda, sed quòd non pijs metuenda, »
quibus nil continget, nisi ex divinâ providentiâ, & »
quod patientiâ levius fit, juxta illud, [z] *Ne timete vobis, ab ijs qui occidunt corpus*; non quià, hoc non » [z] Math. 10. 28.
sit meticulosum, sed quià rependet Deus: Sic, ne »
metuite à signis cœli; non quià nihil sint, sed quià in »
ijs, præservabit Dominus: Tamen, ut pace tanti viri dixerim, signa cœli, nostro sensu, non observanda esse, ostendit Propheta, cùm illic dixerat, *Incedere in viam gentium istarum, ne discitote*. Quarum gentium, nisi Orientalium? Chaldaicarum, & Babyloniarum? Quæ statuta sunt vanitas, nisi quæ de Astrorum, & Signorũ cœli abusu, tradebantur? Ethnicam igitur, id est, nimiam, & idololatricam, & superstitiosam, cœlestium speculationem, interdicit Dominus. Sed quo pacto, apud Isaiam, deludit, & irridet Deus illa Chaldaica, & consequenter, eorũdẽ usum improbat? Ad ipsam Babylonẽ, verba sunt: [a] *Sta iam, cum incantationibus tuis, & cum multitudine, præstigiarum tuarum, in quibus laborâsti à pueritiâ tuâ, si fortè possis proficere: si fortè præbebis te fortem. Defatisceris multitudine, consiliorum tuorũ: Stent iam Astrologi, qui contemplantur stellas; qui notas faciunt in menses, prædictiones suas; & servent te ab ijs, quæ superventura sunt tibi*. Quàm amara, est hęc irrisio? Quàm directè, prędictores istos feriens? Apud Danielem, [b] Astrologi cum Magis, & Divinatoribus, & Chaldæis, è diametro quasi, Prophetę, & Dei spiritui, opponuntur. Generale Christi est præceptum: [c] *Ne solliciti estote, de crastino*: ubi

[a] Isaiah. 47. 12.
[b] Daniel. 2. 27. 28.
[c] Math. 6. 34.

cùm cibum, vestitumque nominet, comprehendit omnia, ad humanam vitam conducentia. Sed scopus exhortationis, is est, ut de futuris, anxiè non perquiramus, quod agunt vehementer, qui Astrologicas prædictiones, in quàm multis consulunt. Cavendum ergò est, ne audacter, in secreta Dei irruamus; idque nobis, sine scripturæ voce, sine regulâ, aut ratione arripiamus, quod futuri prævisor, & ordinator Deus, abditum esse voluit. Inspirationes Prophetarum, à Domino, ad res pręsignificādas, excitatorū, extenuamus, & leviores facimus, si ex Astris, magna, multa, omnia, prævideri possint.

7 Sed ut suprà, quid ex cœlis colligi possit, docuimus, (quibus illud addimus, quòd virtutes fortassis, habent plures, & multas, sed quis scit, num has, & has? Et in isto, vel in illo? Et hodiè, vel heri?) Sic, ut è fixo quasi loco, Astrologorum placita, oppugnemus; sermonemq; nostrum, certis limitibus circumscribamus; quid in ijs improbamus, & damnamus, ostendendum est. Tria sunt, quorum indicium, è Schemate cœlesti, se posse colligere, inspectores isti siderū, præ se ferunt. Nativitates, quas γενέσεις appellant; Delectus, sive Electiones; & Interrogationes, seu Quæsita. In Nativitatibus, futuros mores, & fortunæ, in vitâ, morteq;, conditionem, præfari spondent: In Electionibus, quis dies, huic negocio, ut itineri capessendo, prælio conserendo, fundamento domicilij, aut civitatis, jaciendo, commodus sit, aut incommodus: In Quæsitis, quis occiderit hominem, quis ablata furto subripuerit, cęteraque similia, se docere posse, jactitant. Hæc tria damnamus, ut non minùs Philosophiæ, & rectæ rationi, quàm Divino

vino cultui, adversa. Et ut de γενεθλιαλογίᾳ, primo dicatur loco; cur in rebus natis, actiones, quæ sunt voluntariæ, & voluntas ipsa, quæ quovis momento est mutabilis, à figurâ cœli penderent? Vnde, super istam, quæ absolutè spiritualis est, tam longè dissita, disjunctaque corpora, vim exercebunt: Neque omninò, in puncto temporis, (quod oportet fieri) immutato corpore? Edicta principum, multa jubentia, aut vetantia; auxilium opem ferentium; impensę, & facultates, quę in rebus magnis sunt necessarię; instrumenta, & media operādi, magni sunt, ad quidvis, ponderis; & hæc tàm extra nos, quàm extra cœlos, sita sunt. Educatio, in utramque partem, momentū habet: sic & societas, cui jungimur, quarum [d] utramvis, piam esse, & sanctam præcepit Dominus; sed frustrà, si ex Schemate superiorum corporum, sint metienda singula. Verùm, quantam isti Deo faciunt injuriam, qui cùm ità speciatim, se, nostra omnia, dirigere dixerit, ut nec [e] passer in terram cadat, nec crinis, capillusvé unus decidat, sine certâ ejus providētiâ; Astrorū motui, ista tamē tribuent, quę licèt ipsius sint creaturę, talē tamē, tātāq; vim, in rebus ad se immediatè spectātibus, ijs illū impertivisse, unde cōstat? [f] *Vt rivi aquarū, sic animus Regis, est in manu Iehovæ, quocūq; vult, inclinat eū.* Sed quātā blasphemię occasionē, hominibus impijs tribuunt? qui si adulterio, homicidio, proditione, omnigenâ impuritate, sese conspurcârint, in cœlos, & ipsum Deū, rē omnē rejicient: acsi eorū operatione, & coactione, in vitia impellerētur; neq; abstinere à malo potuissent. Nā pręter Originalē labē, cujus vitiositas, Adamo propagāti, referēda esset; instigatio quędā, & incitatio, ab Astris proveniret.

[d] Prov. 4. 11. c. 1. 15.

[e] Luc. 12. 6. 7.

[f] Prov. 21. 1.

8 Quæ ex his ſequuntur, abſurda alia, ſunt infinita: quorum aliquot, non verebor recenſere; ut qui dicam, non minùs apud homines Philoſophos, quàm Theologos. Et primò, quo pacto poterit Conſtellatio, in Nativitate fulgens, effectus per totam vitam, operari? Quid in cauſâ futurum eſt, quòd annus, & dies quilibet, ſuas non diriget actiones, æquè atque ea una, in ortu fulgens? Secundò, quo pacto vim ſuam, exercebunt cœleſtia corpora? an ut cauſæ; vel ut ſigna; vel ut aliud quidquam? At quid tandem, eſt illud aliud? Cur non nominatur? Signa ſi dixerint; at quid, precor, in cauſâ propriè erit, cujus, iſta ſunt ſigna? Et id etiam proferatur. Si hæc, ipſæ cauſæ ſint, at quo modo operantur? Per tactum? aut emiſſionem virtutis ſuæ? At quo pacto aer, qui medius eſt, ità immutatur, ut ad ſolum iſtum feratur, nec ad alium hominem? Cedò certam aliquam experientiam: deprome aliquid, cum ratione, & Philoſophiâ, vel ſpecie tenus conjunctum. Sed nulla ratio; nullus ſyllogiſmus; nullum argumentum. Tantummodò, noſtris credendum eſt principijs. Tertiò, cujus diei, Horoſcopus intuendus eſt? num ejus, qui fuerat Conceptionis? aut illius, qui eſt Nativitatis? In Conceptione, cum paterno, maternoque, conjuncto ſemine, primordia geniti coaleſcunt; & abditæ, ab eo uſque momento, foventur virtutes; quæ ſimul cum paternâ, maternâque ſimilitudine, & hæreditarijs etiam morbis innatis, in Nativitatis horâ, non immutantur; nec immutari valent. A Conceptione ergò, (ſi alicunde) ſuffragatur ratio, ſumendum eſſe judicium: idque fatetur [g] Haly, inſig-

[g] Picus Mirandula contra Aſtrologos lib. 7. 3.

insignis Astrologus: efficaciam scilicet, fati discernendi, esse in horâ conceptus: sed quia hæc ignoretur, ad horam Nativitatis, Astrologos confugisse. Detrahunt suis Principijs, qui Nativitatē, pro Conceptione capiunt; cujus Conceptionis, ex oriendi horâ, impossibile est, ut ratio teneatur; dum septimestres, octimestres, novimestres, imò decem mensium, aliqui sint partus, ut loquūtur Medici; nec post certam periodum completam, determinari potest Conceptionis hora, ex nascendi termino; præsertim, cùm parturientis robur, aut imbecillitas; sic & obstetricis peritia, aut imperitia, aliaq; quāplurima, partū accelerare, aut retardare cognoscantur. Quartò, incredibile est, ut exacta cœli Revolutio, capiatur; propter festinā suam, in movendo celeritatem, quæ quibusvis momentis, & minutis temporū alteratione patitur, ex ipsorum regulis, & irrefragabili veritate. Vel enim Astrolabium, exquisitè non erit perfectum; aut Mathematicus, eo usurus, paratus non erit; aut nubes, stellas Solemvè intercipient; aut fœminæ intra conclave, Astrologo deforis stanti, partum statim non significabunt: Cujus solius rationis si quis nervos, accuratè velit considerare, si obstaret nihil aliud, exclamare tamen poterat, [b] *Vanitas vanitatum; & omnia vanitas*. Liceret ista persequi ulteriùs, ex Contradictorijs illorum Principijs; in quibus, cùm nonnihil parentibus tribuant; dominanti sideri, plurima; quo pacto, omniū, uno tempore nascentium, unum erit judicium? ut si Mercurius omnes fures faciat, num parētes omnes generantes, similes erunt? Sed ne tædio sim; ad virorū doctissimorū censuram, volentes remitto. In quibus

[b] Eccles. 1.2.

bus[i] Origenes, super Josuam sic: *Qui de Astrorum cursibus, vitas hominum, & gesta perquirunt; qui volatus avium, & cætera huiusmodi, quæ in seculo priùs observabantur, inquirunt; de Hiericho, anathema inferunt, in Ecclesiam; & polluunt castra Domini, & vinci faciunt populum Dei.* Alludit ad anathema Achani. Hic præter severam, de istis censuram, advertite, quòd cum stulto augurio, & volatu avium, disciplinam hanc conjungat. Basilius magnus, qui initio [k] Hexæmeri, Astrologiam, vanitatem occupatissimam, & negotiosissimam appellavit;[l] posteà ex ipsis naturæ, & rationis, visceribus; & ex Theologiæ, Christianæque fidei preceptis, demonstrat, argumentis, eorum non dissimilibus, quæ jampridem recitavi; impossibile esse, ut de Nativitate cuiusquam, Astrologorum quisquam, veram ferat sententiam. Ambrosius, in suo [m] Hexęmero, horũ, in Nativitatibus cõiiciendis, vanitatẽ, describit, examinat, cõfutat, irridendã proponit. Qui velit, consulat. Ego digito fontes designo.

9 At sicco, non possum pede, præterire, quid habeat in præsenti negotio, judiciosissimus [n] Augustinus; qui ex Geminorum partu, Mathematicorum, de Genesibus, pronuntiationes evertit. Ex Geminis etenim, uterque, cùm uno, eodemque proseminentur tempore; minimumque, inter eorum Nativitates, intercedat spacij; dissimilibus fiunt corporibus, vultibus, animis, moribus, nec in ullis studiis, aut vitę cõditione cõsentiunt. In Esavo, & Jacob instatiã perhibet; quorũ ortus, ità cõiũctus fuerat, [o] ut ex utero, prodeuntẽ Esauum, calce tenuerit Jacob; ipsorũ Constellationes, si voluisset omninò intueri,

[i] Origen. Homilia. 7. in Iosuam.

[k] Basil. Hexæmeri. Homil. 1.

[l] Homil. 1.

[m] Ambros. Hexæmeri lib. 4. cap. 4.

[n] Augustin. de doctrina Christiana. lib 2. 22. & de Genesi ad literam. 2. 17.

[o] Gen. 25. 26

tueri, debuisset Mathematicus, ad eundem Horoscopum & eandem Lunam. Qui tamen unquàm, fuerant dissimiliores? Hic infans hirsutissimus, & plùs quàm virilis; ille mollis & fœmineus: hic moribus rigidis, & inobsequiosis; ille placidis, & pacatis: ille servitio, magnam peracturus vitæ partem; hic dominio: ille pastor; hic venator; & quod maximum fuerat, ille Deo dilectus; hic odiosus. Quis unquàm hominū, ex eodem utero prodeuntes, è cōtrarijs magis studijs, consutos vidit? Nec dispar est ratio, quoad gradus multos, in Geminis alijs aut Trigeminis. Quid obtrudet, in re tali, Astrologorum chorus? Nigidius Figulus, insignis Mathematicus, uti refert [p] Augustinus, cùm simili premeretur argumento, se, è salebris, seipsum, probè potuisse expedire, cogitabat. Celeritati Revolutionum isthæc imputavit omnia; quæ cùm tanta esset, & tam velox, ut ictu quasi oculi, diversū in cœlo, Schema proponeret, diversas infantibus qualitates poterat impertire. Licèt igitur multocyùs, puer puerum, ex utero sequatur; cùm tamen, non possit non modicum, intervenire intervallum; diversum erit, Geminorum fatū. Cùm Revolutionum velocitatē, vellet describere, figulinam cepit rotam, quam, citissimè cùm fecisset circūvolvi; pennâ in manum sumptâ, atramēto repletâ, quàm velocissimè poterat, circūgyratā rotā, atramento, semel, atq; iterum notavit. Quæ utraq; licèt, uno tanquam Nunc, & momēto, infigerētur; cùm staret tamē rota, distabāt à se mutuò, longè pūcta. Hinc; si in tātulo, inquit, corpore, motus celeritas, ictu oculi, diversitatē tātā faciat; quātā pariet, intervallū, quod, inter partū Geminorū, cœlestia corpora habuere. Ratione istius

[p] August. lib. 5. de civitate Dei, cap. 3.

similitudinis, Nigidius ille, Nigidius Figulus appellatus est. Verùm Augustinus, rectè perpenso argumento; suo, Nigidium jugulat gladio, acutissimè colligens, quòd si tanta sphærarum, & Revolutionum, sit celeritas; impossibile est homini, Astrorum inspectori, certam cœlorum faciem, à quâ petendum est judicium, distinguere; ideoque rationes istas Figuli, æquè esse fragiles, atque figulina vasa. Nihil sanè doctius, nihil acutius, nihil verius, excogitari potest.

10 Ita Genethliacos missos facimus, & ad Electiones tandem accedimus; quæ secundo, à nobis, damnantur loco. In istis, scrutanda docent tempora, & opportunitates, in quibus aggredienda ea sunt, quæ tanquam precij alicujus, appetimus. Tali horâ aut die, faustus futurus est aspectus: civitatis, aut domicilij, fundaméta jacienda sunt: conjugiũ ineundũ est: capessendũ iter: auspicatò prælium conserendũ. Quid hoc aliud est, quã DEO, immediatã suam gubernationem præripere, (quâ singulis actibus, & cogitatis præest) & creaturis assignare? Miror sanè, quòd Mosi opportunitatem istam, ex Aegypto exeundi, è sideribus, non ostenderit; pręsertim Mosi, in ijs artibus, aut similibus versato. Miror quòd Salomoni, felicem horam, fundamenti Templi ponendi; aut Nehemiæ, muros Hierosolomis fabricandi & extruendi, non commõstrârit. At quàm frivola isthęc? Quid hoc aliud est, quàm dies, & menses, & tempora, superstitiosè observare? Origenes in Exodum: [q] *Dies*, inquit, *observare, & menses, & tempora, signa requirere, stellarum cursibus adhærere, Aegyptius est languor*: id est, malus. Aegyptios, ista decere dicit,

[q] Origenes in Exodum Homilia 7.

cit, non Christianos. Philippus [r] Melancthon, Megnonen in [s] Deuteronomio, appellari, vetarique dicit, qui superstitiosè, certos dies eligunt, aut vitant. Et frequens, hujus vocis, sensus [t] talis est, in sacris literis, apertè contra Electores istos faciens. Insuper; quàm puerile hoc est, quàm negotijs humanis adversum, eique repugnans vocationi, in quâ, quęque Deus constituit; ut vano tantùm timore, ducti homines, aut spe inani pellecti, diem de die, otiosè & intempestivè, parati aliàs, proferant & protelent? [u] *Qui observat ventum, non seminabit*, inquit Salomon; *& qui respicit ad densas nubes, non metet*. Et Paulus: [x] *Observatis dies, & menses, & tempora, & annos. Vereor de vobis.* [y] Augustinus Electiones istas, salsè perstringit, & doctrinæ Astrologorum, de Nativitatibus, repugnare ostēdit: sic: *O stultitiam singularē, eligitur dies, in quo ducenda sit uxor. Credo, propter eà quià potest, in diem non bonum, nisi eligatur, incurri, & infeliciter duci. Vbi est ergò, quod nascenti, iam sidera decreverunt? An potest homo, quod ei iam constitutum est, diei electione mutare?* Et sic pergit, apertâ evincens ratione, quòd si magni casus, ex cœli constitutione, in Nativitate, fataliter præstituantur; non esse penes hominem, Electione suâ, immutare. En quàm sibi subruunt isti, sua fundamenta?

[r] Melancth. in lib. 2. Physic.
[s] Deuter. 18. 10. מעונן
[t] 2. Chrō. 33. 6. Deut. 18. 14. Micah. 5. 12. Levit. 19. 26.
[u] Eccles. 11. 4.
[x] Galat. 4. 10.
[y] August. de civitate dei lib. 5. 7.

11 Johannes [z] Picus de Mirandulâ, vir nobilissimus, & elegantissimus, libros plures conscripsit, (uti omnes novimus) ex proposito, Astrologorum placita, convulsuros. De ijs, [a] Hieronymus Savanarola, Italus superiori seculo, doctissimus, sic testatur: *Qui Pici Mirandulani, libros de Astrologiâ legerit,*

[z] Picus mirandula contra Astrologos.
[a] Hieron. Savanarola de Triumpho crucis. lib. 4. 3.

& intellexerit; *neque Astrologiam irriserit, dignus ipse est, qui ab omnibus irrideatur.* Sed Picus ille, nobilissimus, & eruditissimus, ut acerrimam perhibet censuram, de doctrinâ istâ omni; ut exempli causâ: [b] *Philosophos antiquorũ seculorum, contempsisse potiùs, quàm confutâsse Astrologiã*, (quod explicatiùs habet Savanarola, sic, [c] *Aristoteles & Plato, omnẽ tractãtes Philosophiam, Astrologiã ne tetigerunt: neq; mentionẽ eius fecẽrunt. Quam sanè non omisissent, si secretum fuisset naturæ:*) ità de Electionibus lepidè, prudenter tamen loquitur. [d] *Quomodo Iupiter, si in nonâ cæli regione aspiciat, fœlix iter faceret? Num afflat hominẽ, aut equi ascensum, aut viam? Si hominẽ, tum etiãsi non proficiscatur. Iovia equi ascensio, quomodo cœlum pluviâ purgabit, aut viã furibus? Quid si pluriũ dierũ iter sit? Num novus quotidiè Iupiter?* Quo pacto, istis solidè occurri possit, mea non percipit ratio. Sic de alijs suscipiendis, proferre liberet. Christiano igitur homini, ut ista stolidiora fugienda sunt, sic curandum est potissimùm; ut pia, & honesta, & reipsâ sibi salutaria, aggrediatur: tum precibus invocandus est Deus summus, ut velit opem, auxiliumque ferre, afflatuque suo benedicere. Si tempora nubila, pluviæque occurrant tempestates, abstinendum in multis negotijs, suadet ratio, & sensus communis; sed ab isto, illové Planetâ pendêre, aspectuque siderum; & miserum est, & superstitiosum, & stultum, cum ominosis illis Ethnicorum, ad Inferos amandandum.

[b] Picus lib. 1.

[c] Savanarola, ubi suprà.

[d] Picus lib. 4 7.

12 De Quæsitis, loco tertio, similiter censendum est. Si voluerit te Deus castigare, eoque, violẽtas prædonum manus; aut furtivos subtrahentis digitos; aut ægritudinem, aut infortunium, (ut solemus appel-

lare)

lare) immiserit; cur ad mala fugis media, ut vel personam suffurantis, aut morbi exitum, aut liberationis tempus cognoscas. Deus est, qui percutit; ad hunc recurre, solatium quæsiturus. Fœdum est, & indignum Christiano.

[e] *Flectere si nequeam Superos, Acheronta movebo.* [e] Virgil. Aeneid. 7.

[f] Saulis illud factum, altiore peccatorum gradu ponimus, quo Pythonissam consuluit, de prælij exitu, adversus Philistæos. Sic & [g] Ahaziæ illud, cùm æger ex lapsu, è fenestrâ, ad Beelzebub deũ Ekron, cõsultũ misit, de sanitate suâ. At responsum Dei, eandem hodiè & in istis, rationem habet, quam eo tempore: *Annon Deus est in Israële?* Idẽ est, acsi diceret: Quæcunque contingunt adversa, à Deo contingunt: Nulla igitur refugij, aut incolumitatis media, investiganda sunt, quæ non ipse præscripserit. Et in istis Quæsita, seu interrogationes istæ, annumerari possunt, quæ Deus, nullo modo præscripsit; imò celata voluit. In Rebuspublicis, quot hinc damna fluxerint, non facile est numerare: cùm suggestiones impostorum, de periculis insequentibus, nonnullos homines, meticulosos, & timidiores, perpetuâ vexari fecerit sollicitudine, ne reverà contingant: sicque per metum suum, de Deo diffidentes, sibi mala accelerant, iuxta illud: [h] *Quod formidat impius, id eveniet ei.* Dum etenim, apud se, desperabũdus subsidat iste impius, nec mala ingruentia præoccupet; occasionem sibi perniciei accersit; idque nullâ re magis, quàm inimicos, & proditores excitando, qui vitã auferant: qui id, eò potiùs conantur; quandoquidẽ interitum, imminere ipsi, quem vellent occidere, ex prædictionibus, arbitretur. Hocque multis Principibus, necem

[f] 1. Sam. 28. 8.
[g] 2. Reg. 1. 2.
[h] Prov. 10. 24.

necem attulit; in quibus nominatissimus, meretur esse, pavidus [i] Domitianus. Sed & quandoque efficitur, ut, cùm ex Astrologorum Tripode, Tyrannis aliquid, de successoribus suis, significatum fuerit, innocentes statim homines, sub suspicione occidant, ut quondam Valens, Romanus Imperator; cui cùm Astrologi (id enim ex philosophorum nomine, innuunt [k] Sozomeni verba) aliqua prænunciâssent, de hærede sibi successuro; tùm multis nobilibus innocuis, tùm sibi ipsis, exitium procurârunt. Unde rectè meminit idem Author, prædictiones ejusmodi, quas efferre solent hi artifices, à Romanis, interdictas fuisse legibus, etiam tum, cùm Gentilem superstitionem professi, ad Christianam adhuc fidem, non accessissent.

[i] Suetonius in Domitiano. 14.

[k] Sozomen. li. 6.35.

13 Et in causis aliquibus, lege [l] etiam, apud nos vetatur, talis inquisitio: præsertim verò in negotiis, ad summum Magistratum, Regnum, & Rep. spectantibus. Piè sanè, & prudenter, & meritò. Nec incommodum fuisset, si in his vulgaribus Interrogatis, de furto, & jacturâ prohiberetur, cùm hîc, nugivendulum hoc hominum genus, ridiculâ tantùm imposturâ, homines capiat; reos, notis insignioribus, describendo, quæ vix ullibi reperiri possint. Ut: sustulit vir, obliquis oculis, obstipo capite, dentibus prominentioribus, & perperàm dispositis, divaricatis cruribus, distortis pedibus, alijsque, quæ homini non ineptienti, stomachum movere possint. Neque tamen adhuc, sollicita, & curiosa mortalium dementia, omninò, iis fidem derogavit. Sed prævalebit tandem prudentia, experientia, & suum malum, ut ulteriùs non consulant;

[l] Anno. 23. Elizabethæ. ca. 2.

lant; aut si ista non valebunt, prævalebit pietas, u-
ti sperandum est, cui ista adversantur; idquè ex eo-
rum testimonio, qui plus multò, quàm eruditiorum
hominum magna pars, tribuunt Astrologiæ. Nam
ut contentus sim Melancthonis judicio, de Ele-
ctionibus, suprà citato, audite Christoferum Peze-
lium, qui in Locos Communes Melancthonis scripta, uti ego coniicio, digessit; aut in Obiectiones
saltem, & Responsiones: Quos utrosque potiùs no-
mino, quià honorificè satis, hanc Artem, non ni-
mis se extendentem, prædicârunt. Sed [m] Pezelius
hæc tria, de quibus dixi, ἐκλογὰς, id est Delectus;
γενεθλιολογικὴν, Nativitatum interpretationem; &
ἐρωτήσεις, Interrogationes seu Quæsita, ut Chaldæ-
orum vanitates damnat; & dicit: *isthæc esse super-
stitiosorum, aut impiorum commenta, quæ præter ra-
tionem, in Astrologiam sunt inducta; & quæ meri-
tò impietatis, & vanitatis, dãnat Christiana* religio.
Severum certè Astronomi, De astrologiâ iudicium.
Et de his tribus hactenùs.

[m] Pezelius in obiection. & Respons. ex operibus Melãcthonis. lib. 2. de stellis.

14 Quartum quiddam est, in quo ingenij sui, in-
dustriæquè vires, vulgò magis, & apertè exercent:
malo sanè minori, sed fraude non dissimili; dum
aëris immutationes; serenas, nubilasquè tempesta-
tes; siccitatem; pluviam; nives; aquarum inunda-
tiones; famem; pestem; prognosticis suis, prędicãt.
Quorum omnem rationem, (præsertim verò, quod
ad cœli faciem spectat) tollendam, aut abominan-
dam non censeo. Apud Matthæum etenim, citat
Christus, & non improbat, Populi Judaici obser-
vationes: [n] *Quando serum est diei, dicitis, sereni-
tas erit; rubet enim cælum: Et manè, hodiè erit tem-*

[n] Matth. 16. 2.

pestas; rubet enim cœlum triste. Ità habent nautæ, & agricolę prædictiones suas, usu collectas; de quibus tamen, verissimè affirmamus, ex Meteoris potiùs, quàm cœlestibus inclinationibus illas pendêre. Sed & ab aqueis, & terrestribus censuram faciunt; ut apud [o] Lucanum, est videre, qui nautam inducit, Cæsari, qui solus in Italiam, navigare cupiebat, præfantem, ex avium gestu, & similibus, quanta procella jam continuò fremeret. Ex his, & ex aspectu Solis, & lunæ, unius diei, aut duorum fortassis, probabilia Prognostica, haberi possunt: sed cùm ante mensem, annum, lustrum, pronunciare velint; in scopulos infamię, se immittunt, suosq; libellos ridendos propinant; id quod sæpè contingit, cùm lepidioris ingenij aliquis, ipsorum plures, omninò inter se pugnantes, & dissidentes è diametro, conferre velit. In quibus, illud etiam non indignum est animadversione, quòd maximas rerum immutationes, non prævideant; sed in insignissimis eventibus, tanquam muti pisces silēt; ut in morbis extraordinarijs, aut diluvijs, non raro contingit. Levinus [p] Lemnius, in suo, de Astrorum usu libello, profitetur sudoriferam illam Cardiacam, quæ Anno 1529 inter tot hominum millia, grassata est; sed & inundationem, super omnem ferè Galliam Belgicam, quater ab Anno 1530, ad 1552. factam, à nullo Astrologorum, fuisse prenunciatam. Nonnunquàm tamen, ut ea loqui videantur, quæ speciem aliquam præ se ferant, astutiâ callidiore, ea proponunt, ut ex sideribus cognita, quę quivis è plebe homulus, si sensum velit intendere, non poterit non cognoscere. Ut cùm messis turbata fuerit, futuram famem: Id quod hodiè, nimis verum est, si Divinæ Majestati, nobis

[o] Lucan. lib. 5.

[p] Levinus Lēnius de Astrorum usu.

nobis ob peccata succensenti, aliter videretur: ubi cũ superiorum, frumentum annorum, consumptum sit, & precedentes estates, Autumniq; pluvijs vehemẽtioribus obruti fuêre, metuendã fuisse famẽ, panisq; penuriã, difficile non erat, itã pridẽ asseverare. Potest tamen, incogitabilis misericordiæ Pater, & hanc etiam levare necessitatẽ, pro beneplacito suo: quod ut faciat, obsecramus. Sed quid isthæc ad sidera? Eodẽ planè modo, Monarcharum actiones speculantur, in publico, tanquã in Theatro, propositas: sed & secretiora Principũ consilia, venantur, & rimãtur, è quibus, inimicitias, aut bella exarsura, eloquantur. Egregiam certè laudẽ. E cœlorũ tamen motibus, se motus istos, in terrâ, exugere protestãtur, cũ in ijs, nihil tale insit. Occasiones etenim hominũ, quas arripiant, & levitas animorum, proximo post Divinam voluntatem loco, ista excitant; non leves Planetarum inclinationes, de quibus illi tam stupenda efferunt, ut Seneca non salsiùs quàm veriùs, [q] *Videbis quinq; sidera diversas agentia vias, & in contrarium, præcipiti mundo nitentia. Ex horum levissimis motibus, fortunæ populorum dependent, & maxima, ac minima proinde formantur, prout æquum, iniquumvé sidus incessit.* Gravissimus Seneca, Ironiâ mordace & amarâ, decreta Mathesim profitentium, sic perstringit.

[q] Seneca in consolatione ad Marciam, 18.

15 Nisi nimio vos tædio afficerem, infinita sanè è Theologis, Philosophis, Historicis, Legumlatoribus, Politicis, possem adducere, quæ communi consensu, fidem, & existimationem istis detrahunt; quibus, vel eorũ aliquot, tantùm nominãdis, cõtẽtus ero, alij cuipiã, in largũ prosequẽda, relicturus. Ut sciremus igitur, non è Sole, aut sideribus, terræ fertili-

[r] Genes. 1. 11. 34.

[s] Philo Iudæus de mundi opificio.

[t] Chrysost. Homil. 5. in Genesim.

[u] Tullius lib. 2. de Divinatione.

[x] Tullius ubi suprà.

[y] Seneca de morte Claudii Cęsaris.

[z] Gellius lib. 14. 1.

[a] Tacitus Historiæ. lib. 1.

tatem dependêre, in [r] Genesi edocemur, germinâsse terram, antequàm sol, & luna fabricarentur; quibus tamen, ad id ministerium, dehinc Deus utitur. Hoc [s] Philonis est Judæi: Non omisit tamen, etiam [t] Chrysostomus, *Ne nimium*, inquit, *sideribus tribueremus; ante solis, stellarumq́; creationem, tellus semina protulit*. Quàm inutile sit, rerum futurarum, scientiam captare, docet [u] Tullius: *Non est utilis futorũ scientia, nam quæ vita esset Priamo, si miserias suas futuras præsciysset?* Diù tamen, feliciter vixit Priamus. Iterum Tullius, [x] *Omnesné, qui Cannis ceciderunt, uno Astro fuerunt?* Et ibi tertiò: *Pompeio, Crasso, Cæsari multa à Chaldæis, dicta sunt: neminem eorum, nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate, esse moriturum.* E contrà observat [y] Seneca, Claudio Imperatori, quotannis, astrologos prędixisse mortẽ, & falsò, cùm adhuc superviveret. Egregia est [z] Phavorini disputatio, apud Gellium; & digna, quæ tota legatur: Hic, cùm luculentis argumentis Mathesim oppugnâsset, concludit, inutile esse, futura prępscire, sic: *Aut adversa*, inquit, *eventura sunt, aut prospera: Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies, frustrà expectando: si adversa dicunt, & mentiuntur; miser fies, frustrà timendo: Si vera respondent, eaque non prospera sunt, iam inde, ex animo miser fies, antequàm e fato fies: si felicia promittunt, eaque eventura sunt, tum planè duo erunt incommoda: & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam defloraverit*. Sequitur etiam [a] Taciti, gravissimi Historici judicium: *Mathematici, genus hominum, potentibus infidum, sperantibus fallax; quod in nostrâ civitate, & vetabitur semper, & retinebitur.*

tinebitur. Eodem [b] teste, factum est sub Tiberio, decretum de istis Mathematicis, & magis, Italiâ pellendis; eorumqúe unus saxo dejectus est. [c] Suetonius etiam, in Tiberio, fatetur id decretũ; sed Astrologis deprecantibus, & artem se relicturos profitentibus, dicit Imperatorem, veniam dedisse. [d] Iustiniani, extant leges, adversus istos, & [e] Ulpianus, eos Romæ, aquâ, & igni interdictos dicit, eorumqúe bona publicata. Neque legimus, ullum Imperatorum Romanorum, apertè toleràsse, unico, excepto Juliano Apostatâ, qui perhibente [f] Sozomeno, Astrologiã, & Nativitates, exerceri sub se passus est, & nonnunquàm procuravit. Et quis fuerit Julianus, probè cognoscimus. Quidquòd [g] Juvenalis, Chaldæos ut ridiculos homines, tacitè perstringit. Julius Firmicus, qui magnum se Magistrum Matheseos profitetur; largumqúe eâ de re, ante multa secula, conscripsit librum; maximiqúe nominis Astrologus habetur; præ legum metu, (uti ego existimo) Imperatorum fata, non posse è sideribus, aliové modo tali, concipi profitetur. At reliqui ejus farinæ, omnes, in Principum Navitatibus coniectandis, potissimùm operam locare solent, quippe ex quibus, plurimum pecuniæ sint emuncturi, & lucraturi. Audite [h] ejus verba: *Aruspices turbabant exta, de industriâ, cùm de Imperatoribus consulerentur. Sic solius Imperatoris fatum, è stellis non potest conijci, quia is terram regens, à solo Deo regitur.* Claudet ista [i] Picus Mirandulanus, *Si in cœlo plures sphæræ sint, quàm octo, fallitur Ptolomæus, è quo plurima sumunt; & tota vetus Astrologia: si non plures, falluntur novi, qui ut de pluribus iudicium faciunt.*

[b] Lib. 2. Annalium.

[c] Sueton. in Tiberio. 36.

[d] Codice. De Maleficis & Mathematicis. L. Nemo Aruspicem. Ib. etsi.

[e] Vlpianus lib. 7. de officio Proconsulis.

[f] Sozomen. lib. 6. 2 Eccl. Hist.

[g] Iuvenal. Satyra 6.

[h] Iulius Firmicus lib. 2.

[i] Picus contra Astrologos lib. 8. 2.

Lib.1.& lib.2.7 Secundò idem Picus: *Ptolemæus, qui in Genethliacũ, est optimus malorũ, locum septimum in schemate, consulto, hoc est, Astrologo tribuit, qui hodiè in Quæstionibus, rei quæsitæ datur.* Et tertiò: *Astrologia experientià non constat, cui, supra omnia innititur, cùm experientia, sit sæpè expertorum; sed eædem Constellationes, & Revolutiones nũquàm bis revertuntur, nedùm sæpiùs, ut oportuit, si certæ inde regulæ, colligẽdæ essent.* Ista festinus prætereo, sed hora labitur; & ad prudentes, & intelligentes loquor.

Lib.11.1.

16 Nunc superest, ut pauca, quæ ex adverso afferuntur, tollantur è medio. Ea, aut Scripturæ sunt, aut experientiæ. E sacris literis, citant id Geneseos: [k] *Sint luminaria in cælo, in signa, & tempora, & dies & annos.* Hinc, signa esse futurorum, conantur ostendere. At nil hoc aliud est, in signa, & tempora, quàm in signa temporum; quod reverà sunt; dum diem & noctem, & æstatem & hyemem, & ver & autumnum; sic, serendi, metendiquè opportunitates, distinguant. Quo nomine, quia tempora significant, Gnomoni in Horologio, transitiones horarum edocenti, comparantur. Et illud afferunt Deuteronomij: [l] *Sunt in ministerium gentibus*: hoc est, per calorem & lumen. Sed venerunt [m] Magi ex Oriẽte, ut Christum quærerent; insignes Astrologi. Et gratulamur venisse Magos, ut primitias Gentium. At laudant ista, Magorum disciplinas. Siccine? Venerunt ad Christum meretrices: neque magis ille, meretricias, quàm Magicas, reverà neutras, approbavit artes. Sed quare venerunt Magi, præ cæteris? Vt homines eruditi, apud populum valentes, & præstantes, & Evangelio propagando, cùm domum redi-

[k] Genes.1.14.

[l] Deut.4.19.

[m] Matth.2.1.

redijssent, aptissimi. At quare per stellam ducti sunt? Dicamné ut [n] Origenes? Ut [o] Balaami Prophetia, de Christo, per stellam significato, impleretur. Imò potiùs, ut relictâ antiquâ suâ, Astrorum disciplinâ, in novum hunc Salvatorem, Astrorum Dominum, per stellam novam, patefactum, inspectarent. Et singularis fuit hæc stella, nihil cum illis Magorum, commune habens; ut quę non in Firmamento, apparuerat, sed in aëre potiùs: Quî etenim aliâs, super domum stare, distinctè discerneretur? Meæ lectioni, nihil occurrit aliud, præterquàm de Sisarâ illud, unde deprompta est, initio orationis meæ, hujus controversiæ discutiendæ occasio: *è cœlis pugnârunt; & sidera ex aggeribus pugnaverunt.* Quo quidem interpretando, candidè profiteor, me à [p] Francisco Valesio, opinione discedere, qui ex stellis, significatos putat Angelos; qui in Ordinibus suis Hierarchicis scilicet, (secundum illam nempè [q] Dionysij adulterini Hierarchiam) pugnaverunt. Nec ut ipsi assentiam, magis ex eo, moveor, quod ex Apocalypsi citat, Draconem videlicet, ex cœlo tertiam partem [r] stellarum, caudâ excussisse, id est, ut inquit Valesius, tertiam partem Angelorum. Hoc etenim æquè est obscurum, & suâ indiget confirmatione. Sed pugnâsse è cœlis interpretor, *res cœlestes, hoc est desuper demissas, pluvias, ventos, grandines, procellas*; ità sidera, *quià harum rerum, in attractione suâ, sunt instrumenta*; ex aggeribus, *id est, superioribus regionibus aëris, translatâ locutione, à militibus ex editiore loco pugnantibus.* Et ut ità exponam, multa me movent: Analogia scripturarum; recta

[n] Origen. in Numer. Homil. 15.

[o] Numer. 24. 17.

[p] Francisc. Valesius de sacrâ Philosophiâ. cap. 31.

[q] Dionys. Areopagita in cœlesti Hierarchiâ.

[r] Apoc. 12. 4.

ratio, & usus Dei; qui sic hostes perdit, ut apud Davidem, [f] *depluet super improbos, prunas, ignem & sulphur, ventusque procellosissimus, portio capitu eorum.* Sic: M. Aurelij [t] disjecit hostes, post preces legionis Christianorum. Sed & hunc in modum, exponunt scriptores, superiorum seculorum, [u] Lyra, Glossa ordinaria, Petrus Cantor, Petrus Comestor Magister Historiæ Scholasticæ, Dionysius Carthusianus, Hugo de Viennâ, & quos pluris facio, quàm illos omnes, [x] Tremelius & Junius; qui ipsis verbis priùs à me citatis, historiam exponunt. Quibus ut majorem etiam, adhibeam fidem, facit [y] Josephus, qui hanc narrãs rem ipsam, Sisaram, & milites, procellâ fuisse obrutos, confirmavit. Nihil ergò ista, ad Astrologorum sidera, quæ quo modo Israëlitas, à Cananæis pugnantibus, distinguerent, & internoscerent?

17 Quod proximo obstat loco, est experimentorum collectio, in quibus viri isti, sunt quàm fœcundi. [z] Nascente Alexandro, Magi Persici cecinerunt, suo imperio, exitium impendere. [a] Calanus Alexandro, in Babylone, mortem futuram prædixit. At Nigidius Figulus, [b] teste Suetonio, considerato cœli schemate, sub quo ortus est Octavius Augustus; ei orbis imperium, portendi pronunciavit. Et certè, si quis aurem velit accõmodare, hodiè suorum Compertorum, & Probatorũ multitudine, aures obtundent. Sed respondemus breviter. Primò, paucis horũ, adhibemus fidem. Diffidentia & incredulitas, ut facit Atheos; sic credulitas facit stultos. Secundò, fortè fortunâ, aliquandò vera proferunt, ut qui de Sõnijs conjectationes faciunt: aliquãdò, aliundè, quã à

[f] Psal. 11.6.

[t] Euseb. Eccl. Histor. l. 5. 5.

[u] Hi omnes super Iudic. 5.20.

[x] Tremel. & Junius in Annotat. In Iudic. 5.20.

[y] Ioseph. Antiquit. lib. 5. 6.

[z] Tullius lib. 1. de Divinatione.

[a] Curtius lib. 10.

[b] Sueton. in Augusto Cæsare, cap. 94.

à sideribus edocti; ut credendum est, illud Nigidij Figuli, ad Christi adventum, allusisse; qui Augusti tempore, venturus fuerat, spiritualiter orbi imperaturus. Et istud, ex Prophetarum eloquijs depromptum, ad Romanos usqué, per rumores, disseminari poterat. Loquuntur alij, in rebus Politicis, cùm secretiora Principum, aut privatorum, consilia expiscati fuerint. Tertiò, non à sideribus, sed à Dæmone, suggeruntur, quæ vera proclamant, ut egregiè [c] Augustinus: *Non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabiliter, multa vera respondent, occulto instinctu fieri, spirituum non bonorum, quorum cura est, has falsas, & noxias opiniones, de Astralibus fatis, inserere humanis mentibus, atque firmare, non Horoscopi notati, & inspecti aliquid arte, quæ nulla est.* Idipsum est, [d] viri docti, nostro seculo, judicium de Ascletarione Mathematico, tûm Domitiano Imperatori, tûm sibi, violentam mortem, mirè, verè tamen prædicente: hoc Dæmonis astuti fuisse opus. Nemo in istis, Cardano fuerat audacior: verùm illi [e] *hæreditaria fuit cum Dæmonibus consuetudo, ut* loquitur Nicolaus Remigius, & alicubi id habet etiam Julius Scaliger. Et Diabolus sanè, alijs, permittente Deo, eam præscientiam impertit, sine sideribus, ut Germano servo, qui ut refert [f] Josephus, Agrippæ, tunc temporis, in miseriâ extremâ constituto, regnum prænunciavit, & felicem vitam; sed mortem intra quinque dies, cùm bubonem rursus, quem tunc viderat, conspexisset. Qui huic, veritatis prædicendæ, materiam suppeditavit, sine Astris; sed ex Augurio; ex instinctu suo, movet Astrologos nonnunquam; id est, Dæmon. Et de his

[c] August. de civitate Dei lib. 5.7.

[d] Antimachiavellus lib. 3.8.

[e] Remigius Dæmonolatriæ lib. 1.14.

[f] Ioseph. Antiquitatum 18.8

hactenus. Cùm igitur è Scripturis sacris, vanitatem, & impietatem Chaldaicam redarguerim; ex rationis etiam, & Philosophiæ fundamentis, Mathesim hanc everterim, ex Historicorum, Legumlatorum, Politicorum sententiâ, Astrologiam damnandam esse, docuerim; Christiani homines, ab istâ, ut à vanitate impiâ, fugiamus: ut artem curiosam amoveamus; & ne audiatur nomen ejus, in vicis nostris. In Deum potiùs, oculos convertamus, qui suâ sponte, bona, plagasque dat; & oremus, ut avertat, belli, famisque formidanda mala, sui nominis gratiâ, suique Christi causâ, cui cum Patre, & Spiritu Sancto, sit decus & gloria, nunc, & in secula seculorum. Amen.

DE

DE PRÆSENTIA IN CULTU IDOLOLATRICO. CAP. IIII.

2 *Reg. 5. 17. Dixit Naaman, saltē detur, quæso servo tuo, duorū mulorū onus, è terrâ: nō enim est facturus ampliùs, servus tuus, holocaustū, aut sacrificium, Dijs alienis, sed Iehovæ.*

18 *Hâc in re, condonet Iehova, servo tuo: quū ingreditur dominus meus, ædes Rimmonis, ut incurvet se ibi, (nā is nititur manu meâ) si incurvavero me, in æde Rīmonis, Hoc incurvare meū in æde Rimmonis, condonet quæso Iehova servo tuo, in hâc re.*

2. 3. Naamanis scrupulus. 4. Abstinendum à liturgiâ, contrariæ religionis. 5. Howletti Rationes Recusandi, examinatæ. 10. fraus hominum, in religione simulanda. 13. Non simpliciter prohibetur, Idololatrico cultui adstare. 14. De Naamanis facto, vulgares sētentiæ. 15. Quæstionis status, & resolutio.

On incommodè Ecclesiam, sicut hodiè est, aut post Christum natum fuit, Firmamēto, sideribus undequaque vestito, comparare liceat; quùm sonus doctrinæ Apostolicæ, & Evangelicę, per omnes orbis plagas ad Orientem & Occidentem, ad Meridiem & Septen-

Septentrionem, ut in sphærâ octavâ, stellæ, sit diffusus. Ante Christum tamen, carne indutum; quæ erat fidelium congregatio, alicui orbi, sphæræve inferiori, putà Solis, aut Lunæ, conferri poterat: ubi in corpore immenso, & ferè infinito, una tantùm stella, una lampas emicat, cùm reliquę ejusdem cœli partes, ità sint translucidæ, & transparentes, ut lumen non repercutiant; adeoque sine lumine, & quodam modo, in tenebris, aut caligine, versari affirmentur. Talis fuerat, Ecclesiæ ratio, per multa Secula, quæ in unico Israële, ut in unâ stellâ, elucens, per reliquas Gentium, & Ethnicorum nationes, non tantùm delitescere, sed & penitus disparêre, visa est. Quibus tamen temporibus, ut suam, Deus, potentiam, nullis finibus contentam, nullis limitibus constrictam, & circumscriptam ostenderet, sed pro suo beneplacito, expatiantem; & ut ex Gentilium, quibusdam Primitijs, vocationem Gentium, futuram innueret; certos aliquot selegit, certisque temporibus; qui in despectis nationibus, testimonium nomini ipsius ferrent; Jobum in terrâ Huz; Jethronem, in Madianitis; in Cananæis, Rahab, & quem potissimùm, nostra designatura est oratio, Naamanem in Syris.

2 Quem cùm Pater æternus, è speciali suâ misericordiâ, fidelium Catalogo, inscribere, electorum numero, adjungere voluisset; leprâ prius, inficiendum curavit: ancillâ Israëliticâ donavit; quæ Prophetam Elizæum, ut tali morbo, in Dei nomine curando, idoneum commendaret: ut in Israëlem proficisceretur, impulit; ut Prophetæ tandem aliquando, auscultaret, effecit; quibus medijs, ab impetigine, lepràque suâ, immunis, mundusque evasit. In istis, dum

dum præpollentem virtutem, Domini exercituum, famulique sui Elizæi, sanctitatem experiretur; mirum est, quàm insigni desiderio, exardesceret, Jehovam Israëlitarum Deum, colendi, & agnoscendi. *Ecce*, inquit, *iam novi, nullum esse Deum, in totâ terrâ, nisi in Israële*. In piam, & fidelem confessionem erumpit. Atque iterum, tanquam fructum fidei, subjungit suæ; *Non est facturus ampliùs, servus tuus, holocaustum aut sacrificium, Dijs alienis, sed Iehovæ.* Veruntamen, ut in novitijs, recenterque conversis ad Dei cognitionem, assuevit fieri; superstitiosam, habet cogitationem, de pulvere Israëlitico, terrâq;, vel Prophetæ pedibus, conculcatâ; acsi ipsi quædam inesset specialis sanctitas; aræque, ex eâdem conficiendæ, magis faveret Dominus. [a] Pomponius Mela, cujusdam Insulæ meminit, quam à serpentum, & colubrorum copiâ, Colubrariam appellat: hæc cùm scateat multo, & malefico genere serpentum, ideoque sit inhabitabilis; si quis humum Ebusitanam adducat; pulverem nempè ex aliâ congestum insulâ, eumque circumfundat; tutus erit, qui versatur intùs; serpentibus, aspectum hujus pulveris, fugientibus. Non dissimilem, noster Naaman, credidit inesse virtutem, humo terræ, quam appellamus Sanctæ; dum vel profana omnia, posse abigere existimaret, vel, sacrâ vi, imbuere. Ita humi, adhuc repit, neophytus iste; non ut aquila, in altum elatus; sed infirmus scientiâ, aliquantò plus, quàm oportuit, incumbit terræ.

[a] Pomp. Mela, lib. 2.

3 At secundum fuerat, quod animo, non arrisit suo; quin mentem potiùs, tanquàm aculeo pupugit; quòd, in patriam reversus, Idololatri-

co cultui, Rimmonisque adorationi, interesse, opus haberet; cùm in Regio comitatu, templum adeundum esset; ibique, pro more suo, Naamanis dextræ, inniteretur Princeps. Cùm anxius esset, & sollicitus, quid in re isthâc, faceret, Divinam implorat misericordiam, Prophetamque, ut est credibile, excitat, ut pro eo, preces fundat; ne crimini apud Deum, id factum vertatur. Cui, cùm respondeat Propheta, *Abi cum pace*; neque ullam adjiciat increpationem; quin potiùs, aut laudare, aut tolerare videatur; dignus sanè locus est, (me judice; neque solo me, sed Theologis alijs multis) qui discutiatur; ut, quid in causâ non dissimili faciendum sit, quantum indagari poterit, cognoscatur. Illud igitur, primò constat; è judicio Naamanis, Liturgiæ Idololatricæ, ut vulgus superstitiosorum hominum solet, interesse, pro nefando, & illicito habendum esse. Is etenim, cui, de præsentiâ suâ, scrupulus injectus est; cùm ad Civile tantùm, & Politicum, præstandum munus, adesset; Idolumque ipsum corde aversaretur; (ut qui priùs, pollicitus fuerat, se nulli alij Deo, quàm Jehovæ, sacrificaturum) sine dubio, incurvationem, & adorationem, damnâsset; & participationem, licèt simulatam, improbâsset. Et cum Divino instituto, verâque religione, convenit optimè, quadratque, hæc opinio. [b] *Ore etenim, confitendum est, ad salutem*. Qui verò, cousque, à confitendo abest, ut præsentiâ suâ, impurum honoret cultum; quid aliud agit, quàm re ipsâ, abnegat? [c] *Qui verò me abnegaverit, coram hominibus; abnegabo*, inquit Christus, *& ego illum, coram Patre meo, qui est in cælis.*

[b] Rom. 10. 10.

[c] Matt. 10. 33.

lis. Qui non est mecum, contra me est. [d] *Dominum, Deum tuum, adorabis, eique soli servies*, Et, [e] *Exite è Babylone popule mi, ne participes sitis peccatorum eius; & ex plagis eius accipiatis*. Denique, Primæva Ecclesia, eos in Lapsorum, potissimùm numero, habēdos censuit, qui incensum, simulachris adolere, aut ipsorum ceremonijs, sua corpora, conjungere consensissent. Quorum temporū judicium, corroborat, Pauli ea sententia, qui, cùm [f] Idolothytis, abstineri voluerit, comedendis, quale quæso judicium, de adoratione haberet?

[d] Matth. 4.10.
[e] Apoc. 18.4.
[f] 1. Cor. 8. 10.

4 Et communia, sunt ista argumenta, Religionum, Sectarum, Hæreseωv omnium. Nam cùm [g] *unus tantùm, sit Deus, una fides, unum baptisma*; cùm ad cœlum semita, ut arcta est, & angusta; sic, simplex etiam, & unica; cùm pietas, & Dei cultus, tanquàm in indivisibili, constituatur; neque multiplex distractio, placere potest; communicatio, cum orationibus, & sacramentis alienis, generali omnium consensu, meritò repudiatur. *Post* [h] *unam, & alteram admonitionem, Hæreticum hominem reiice*, vel devita. Si [i] *accesserit quis, ad vos, & doctrinam hanc, non adfert; ne recipite eum domum; nec Ave, ei dicite*. Et [k] *Habes, qui tenent doctrinam Nicolaitarum, quod odi*. Celebre illud est [l] Johannis Evangelistæ, apud Eusebium, qui quantocyùs, à Cerintho se subduxit; ut & [m] discipuli ejus, Polycarpi, ad Marcionem. Si tanto, uterque, Hæreticum, odio prosecutus est, ut sub eodem versari tecto, aut sermone familiari, imò pacato, versus illum uti, recusaverit; puto, cane pejùs, & angue odisset cum tali homi-

[g] Ephes. 4. 5.
[h] Tit. 3. 10.
[i] 2. Ioh. 10.
[k] Apoc. 2. 15.
[l] Euseb. Eccl. Histor. 3. 22.
[m] Lib. 4. 13.

hominum fæce precando, & Deum invocando, sociari. Num cum Orthodoxis Novatiani; cũ Arrianis Catholici; cũ Manicheis, aut Pelagianis, Pius Augustinus, quòd ad Divina attinet, participârunt? Vnde, Excommunicationis censura, in Ecclesiâ, adversus Hæreticos obtinuit, nisi quòd, à cætibus fidelium eos amovendos, Christiana suaderet religio, qui non eadem, cum Orthodoxis, de Deo, aut pietate, sentirent, & sua adulterina pertinaciter tuerentur. [n] Paulus ille Samosatenus, ab omni quæ sub cœlo erat, Ecclesiâ, est excommunicatus. [o] Theodoretus, Antiochi cujusdam meminit, qui Jovianum (hic aliquando, Arrianus fuisset Episcopus; conversus est tamen posteà ad rectam in Christo fidem:) sibi manus imponere, nullo modo patitur, sed econtrà, manum execratur illam, quæ blasphemam Eucharistiam tetigisset. Non desunt hâc in re, exempla multa, è venerandâ Antiquitatis historiâ, deprompta; sed & nostra tempora copiosa sunt. Anabaptistarum conventicula, quis nostrũ, non detestatur? Qui è Familiâ Amoris, priùs fuerant in Angliâ, (quorum aliquot ego novi) & qui posteà Barhoistæ, à Principe suæ sectæ, meruerunt appellari, nihil minùs quàm damnabile habuerunt, Ecclesiæ Anglicanæ se adjungere.

[n] Euseb. Hist. lib. 7 23.
[o] Theodor. Hist. Eccl. lib. 4. 14.

5 Sed quoniam, inter Pontificios, & Protestantes, maxima hâc de re, intercessit controversia; quid quique egerint, aut senserint, paucis discutiendum existimo. Non est novum in hoc Regno, sed à Pij usquè Quinti temporibus, Anno 1569. Bullam excommunicatoriam adversus Serenissimam Eius Maiestatem, emittentis, assuetum; ut qui, Romani, jurati

jurati sint, in verba Magistri, nostris interesse sacris, scelus, & piaculum habeant. Cùm Principi, celebrique Ordinum Conventui, placuisset, ut lege speciali caveretur, quòd adire recusantes, sive pecuniâ mulctarentur, sive carcere plecterentur; juxta illud Christi, [p] *Cogite eos ingredi*; & illud, ubi, optimè [q] Augustinus docet, Principibus ex officio incumbere, quamvis non ad fidem, ad fidei tamen media, id est, Verbi auditionem; & Sacramentorũ perceptionem impellere; exortus est è Nostratibus unus, qui Papistarum renuentium, causam suscipere professus est; & ut [r] Campianus pugil ille, & athleta Romanæ synagogæ, in re non absimili fecerat, proponit rationes (quas novenario, non denario, ut Campianus ille, complectitur numero) quamobrem congregationibus nostris, sese immiscere non liceret. Istas, Howlettus quidam etiam Anglus,) ità etenim aut vero, aut fictitio se appellat nomine) cùm conspexisset, quàm primùm Duaci (illud etenim præfigitur; cùm domi potius factum sit) in lucem emittendas curavit; præmissâque Epistolâ ad Reginam Angliæ Sanctissimam; suorum patrocinium tantæ Principi commendavit. Author tamen, quod monendum est, illud pro cõcesso, in principio arripit, Pontificiam Religionem esse maximè Orthodoxam, nostramque Hæreticam; & ei fundamento superstruit omnia. Prudenter sanè, quòd ex tali Petitione Principij, ut loquũtur Dialectici, auspicatus est orationem suam. Ità etenim sine sanguine, & sudore, parta erit victoria: cùm opera multò maxima, in eo collocanda esset, ut meretriciam esse nostram, vel schismaticam, Ec-

[p] Luc. 14. 23.

[q] August. Retractat. 2. 5. Et ad Vincentiũ. Epistola 48.

[r] Edmundi Campiani decem rationes.

clesiam demonstraret. Id quod nullâ ipsorũ industriâ effectum iri poterit. Tamen, cùm ipsius rationes præ se ferant aliquid, & tam ad nostrã, quàm ad suã causã faciant ferè omnes; non pigebit illas brevissimè recitare, ut cujus sint precij, ponderisq́ue, contra nos, intelligatur.

“ 6 Primò igitur, fana Protestantium, tangenda “ non sunt, ob periculum infectionis. Quo etenim “ pacto norimus, quin cùm eousqué, in malorum “ puteum, nos sponte descenderimus, ut perverso- “ rum Synagogam velimus visitare; in sensum repro- “ bum, pergat nos tradere Dominus, & gratiam sub- “ ducendo, permittere, ut ruamus in æternum. Si “ non audijsset serpentem Eva, neque ipsa, nec A- “ damus perijsset. Improbarum actionum, etiam “ media fugienda sunt. Teipsum occidere cùm inter- “ dicitur, ne quid facias, quod propensum est, & “ proclive ad mortem, vetatur. Quantò magis ca- “ vendum est, ne tali viâ ambules, qualis, ad per- “ petuam animæ tuæ perniciem ducit. Rectè istud, Howlette, & appositè: (ut quæ sequuntur multa, si contaminatos esse Anglorum cætus, & Deo odiosos confirmâsses:) [f] *Nam qui tangit picẽ, inquinabitur eâ.* Et qui in luto habitat, verendum est, ne cænosus prodeat. Ex consuetudine videndi ea, quæ offensionem in initio pepererunt, frigescere solet, & languescere Christiana constantia. Secun- “ dò, abstinendum censet, ne scandalum detur, & “ offendiculum conscientijs aliorum ponatur. Et “ [t] *qui unum istorum parvulorũ scãdalizaverit, præstat* “ *ei, ut mola asinaria, collo appendatur, & in mare proiiciatur.* [u] Jeroboamus, cùm aureos propo-

[f] Ecclef.13.2.

[t] Matth.18.6.

[u] 1.Reg.12.28. 30.

suisset

fuisset vitulos, quot millia animarum, in laqueos apertæ Idololatriæ perpulerat? Sed & rectè hoc Howlette sensu tuo: cùm

A bove maiori, discat arare minor.

Et exemplis potiùs (ea nostra est imbecillitas) vivamus, quàm legibus.

------*Componitur Orbis*

[x] *Regis ad exemplum.*

Nobilium vestigijs, ignobiles, doctorum, indocti, patrum filii, dominorum servi, robustiorum infirmi solent insistere: et cùm plures peccare cœperint, excusabit multitudo: malum vitio non vertetur. Tertiò, religionis signum est, mysteriis fidei communicare; quod qui fecerit apud Deos alienos, suam abnegâsse professionem, meritò iudicabitur. Nec in isto certè inficias imus; cùm Ecclesiam frequentare, pietatis sit tessera; neque Circumcisio, Judæi magis signum fuerat, aut [y] Frontem, signaculo crucis notare, Christiani in primævâ Ecclesiâ, quàm huic, vel illi hominum cætui, se adiungere, est cum ipsis, quibus sociamur, eandem religionem profiteri. Et hucusqué convenimus ambo, si in genere, de Hæreticis synagogis adeundis, disputetur.

[x] Claudian. in Panegyr. de. 4. Consulat. Honorii.

[y] Athanasius de incarnatione verbi. Basil. in Psal. 23. Chrys. in Ps. 109. Hier. Epist Lib. 1. 8. ad Demetriadem.

7 Quarto loco ponit, Schisma esse, & rupturam Catholicæ unitatis: cùm in duo diversa distrahi, unitatis non sit, sed divisionis. Vbi si econtrà obiiciatur, quòd si tanti damni, & incommodi fuisset, Tridentinum Cōcilium, aperto Canone interdixisset: Respondet, inclusivè, & ex consequenti, Tridentinos damnasse Patres, cùm Lutheranos, & Calvinistas, Hæreticos pronúnciárint;

& ex dogmatibus Orthodoxorum omnium, Hęreticis communicandum non sit. Hîc de schismate consentimus, si modò incorrupta, Romana stetisset Ecclesia: Una etenim cùm sit veritas, ei uni adhærescendum est; neq; luci [z] convenit cum tenebris, aut Christo cum Beliale, aut templo Dei cum Idolis. De Concilio tamen, aliquantùm dubito. Nam cùm, [a] testibus Pontificijs, Magnates aliquot, Nobilesque Anglicani, per legatos, in eâ quæstione, Concilium interpellàrint, præ memoriæ lapsu, aut oblivione patres non omiserunt. Quin potiùs credo, per conniventiam quandam, tacitos præterijsse, prospicientes quàm incommodum futurum esset, tot, tantisq; suarum, partium, aut carceris, aut exilij molestiam facessere. Et nesciebant, an aliquis venturus esset Pontifex, qui jacturâ suæ partis, deliberatè perpensâ, ad damnum resarciendum, Liturgiam Anglicanam, posset approbare, & confirmare. Id quod à Papâ Gregorio 13. Reginæ oblatum fuisse (modò titulus supremæ Gubernationis, Romanæ sedi redderetur,) pervagato hominum, & magnorum sermone, jactitatum aliquando significat Howlettus. Num verè, illud, an falsò, nescio: at solet ex indulgentiâ suâ, Sanctissimus Pater, quæ videntur duriora, nonnunquàm concedere, quò faciliùs, secreta sui cordis desideria, amplissimè consequatur. In quo genere istud est, quòd [b] Campianus, & Personius in Angliam recurrentes Dispensationem, Romæ obtinuerunt, ut ad periculum præsens declinandum, ipsi, alijque ipsis obsequiosi, majestatem Regiam colerent, & honorarent ad tempus, donec Bulla Pij Quinti in executionem duceretur. Quintum est quod adijcit, verendum

[z] 2. Cor. 6. 14.

[a] Howlet. Rat. 4. Epistola cõsolatoria cujusdam, Pontificij Anglicè edita, ad Reverendos Sacerdotes, & alios incarceratos. cap. 12.

[b] Thomas Bilsonus, in præfatione ad Reginam, in libro contra Pontificios edito. Liber dictus Executio Iustitiæ, ubi facultas citatur concessa per Papam April. 14. 1580. Rob. Personio & Edm. Campiano.

dum esse, ne interpretetur Deus, adstantem, simulvé ,,
genua flectentem, participare, & consentire. Et hîc ,,
nos etiam, in Idololatricis, timidè agendum esse censemus; cùm corporis gestus observet, & cordis angulos, qui purissimis est oculis, timetur Deus; cui nihil potest esse abditum, aut absconditum; illeque non judicet, ut homines. Qui [c] Achani commilitones, interficiendos destinavit, cùm illius peccato, non essent primariò contaminati; sed quià apud ipsum simul versantem, repertum est Anathema, subitò, & nobis succensere potest, & vehementer excandescere. Ne igitur decipiamur, [d] *Deus etenim nō irridetur.* ,,
Aperta est sexta ratio, quòd dissimulationis est, accedere; quod non est ita Christianum. Apertos namq; esse decet, & simplices, Jesu nostri discipulos; nec aliud in linguâ promptum, aliud in pectore clausum habere: istud prætextu, reipsâ illud velle. Quin veniant bonâ fide, qui infirmi sunt, ut doceantur: ut Ecclesiæ fidelium adjungantur, & in fumum istud abit, quod urgetur.

[c] Iosua.7.1.

[d] Galat.6.7.

8 Argumenti septimi loco, id occurrit, quod solum contra nos stare videtur, & in quo, aliquid momenti esset, modò verum esset: Liturgiam scilicet nostram, publicamque orandi formam, esse maculis temeratam, & conspurcatam, imò impiam esse; ità ut ipsi consentire, pessimè peccare sit. Neque eam, inquit, calumniam id amovere potest, quòd totus ferè liber, è Prophetis, & Psalmis desumptus sit; quòd Evangelia, ex Evangelijs; Epistolæ, ex Epistolis seligantur, cùm scripturas, [e] Dæmon etiam citârit, sed malè intellectas, & applicatas perperàm. Sed, quatuor de causis, Liturgia Anglicana, contaminata est:

[e] Matth.4.6.

" est: Primò, quià corrupta est, translatio Scriptura-
" rum: Secundò, quià per Ministros totum opus pe-
" ragitur, non per Sacerdotes, & Sacrificos. Tertiò,
" quià multa liber habet, contra Papam; ut cùm in
" Hymno in fine, à Papâ, Turcâque, defendi petitur.
" Quartò, quià tantum non habet boni, quãtum opor-
" tuit. Ista quidem omnia, doctissimè nostrates, Juellus, Fulcus, alij refutârunt, pręsertim Wiburnus, qui libro ex proposito edito; Epistolæ præfixæ, & Rationum omnium, vel apices persecutus est; & gloriosam jactantiam incongruis consequentijs consarcinatam, sic coarguit; ut non opus sit plus adjicere; præsertim cùm Howletti, pura & nuda sit affirmatio, sine adjunctis solidis probationibus. Cum eo tamen, in hoc conspiramus; quòd si Idololatricus, impiusvé, noster versus Deum cultus fuisset, ab eo planè discedendum esset. Cum malis etenim, in malis communicare, excusabile non est.

[f]Heb. 10. 31.

Et [f] *Horrendum est, in manus Dei viventis incidere.*
" Octavũ est, quòd Schismaticis copulati, omnia per-
" dunt beneficia, religionis suę; ut Eucharistię, & Mis-
" sæ; sex Sacramentorum aliorum; clavium Ecclesię;
" præmij bonorum operum; communionis Sanctorũ.
Ista non discutimus, quippe quæ incerta sunt, & inconfessa, sed eousque assentimus, ut extra verã Ecclesiam, salutem non esse, asseveremus: & qui scorto se applicuerit, à verâ Christi sponsâ excidit, neque ullis per eam datis beneficijs fruitur. Nonum est,
" quòd omnes omnium religionum, sese, à diversis re-
" ligionibus seperant: quod quoniam suprà dixi, ulteriore non eget explicatione. Et si obtrudatur, inquit,
" Imus quidem, sed ad templum materiale, non spiri-
tuale,

tuale, quod est cordis. Respondet, At cum externâ profectione, multa mala, concomitantur alia. Ista demùm sunt firmamenta novem, quibus nixus ille, Romanum Pontificem admirantes, à conventibus Anglicanis avocaret.

9 Quis autem, aspectu est ita hebeti, vel cerebro obtuso, ut in nostrã, hæc converti posse partem, non videat, paucissimis exceptis? Commune illud Rhetores appellant Exordium, quod tam in adversariorum, quàm nostrã, flecti causam potest. Sic, Communia sunt isthæc Argumenta. [g] Nostri autem Romanam Synagogam, apertè esse Idololatricam, confirmando, quia honorem Deo, Christoque debitum, imaginibus, aquę lustrali, pani Eucharistico, multisque creaturis tribuat; justissimâ de causâ, divortium ab eâ faciendum esse, & secedendum, demonstrant. Nobis verò illi, ne specie quidem, Idololatriam objiciunt. Superstitionibus ergò illorum, nos subducimus, neque licere interesse proclamamus. Unica etenim cùm Religio, possit esse vera, utrinque claudicandũ non est: non in duas opiniones discedendum. [h] *Si Iehova sit Deus, sequimini ipsum; sin Baal sit Deus, ite post eum.* Non animũ, mentẽque solam requirit Deus, sed & [i] robur, quod est corporis, & ipsum corpus; multò maximè verò [k] linguam. Si accedat ad ipsum ista, abscedat illa, in cœlo spiritus, in gehennâ caro constituetur. Duæ autem cùm sint sorores, animus & corpus, idem subibunt, aut gaudij, aut doloris judicium. Reprehendit aliquando quendam, Origenes in personâ suâ: [l] *Quid mihi prodest, si genua corporis mei, ad orationẽ veniens, flectã Deo, & genua cordis mei, flectam Diabolo?*

[g] Chemnicius in Exam. trid. Conc. Iuellus in Apolog. Ioan. Rainold. de Idololatriâ.

[h] 1. Reg. 18. 21.

[i] Luc. 10. 27.

[k] Rom. 10. 10.

[l] Origen. Homil. 2. in lib. Iudicum.

nobis verò è cóverso licet dicere, quid mihi prodest, si genua cordis Deo flecto, & genua corporis Diabolo? utrumque malũ est, & Hypocriticum. [m] *Vtinã aut calidus esses, aut frigidus*, inquit Christus, Laodiceno Angelo: *Cùm verò tepidus sis, neque vel frigidus, vel calidus, fiet, ut evomam te, ex ore meo.* Dura sententia, adversus dissimulatores istos. Caveant ergò, qui Idolorum cultui præsentes adstant, cùm impius sit ille cultus, & irreligiosus; nam rectè Lactantius: [n] *Non est dubium, quin religio nulla sit, ubicunque est simulachrum*: Caveant, qui Missam adeunt, quò hominibus morem gerant; cùm non minùs illa sit, adversus Deum impia, Christiqué passioni, & sacrificio derogatoria, quàm apud homines, theatrica, histrionica, & ridicula, ut probè describit Sleidanus, [o] fumigationes, geniculationes, aliosqué gestus proponendo; & quòd modò distendantur, modò reducantur brachia; & huiusmodi infinita. Balaamiticos hos ritus fugiendos esse, Reformatores Ecclesiarum trans-marinarum, crediderunt; sicqué nostri, Marianis temporibus, Pastores, & Episcopi magnusqué indoctorum grex; quorum aliquot, nativæ suæ patriæ, amicisqué valedixêre, in exilium profecti; alij dignitatibus, fortunisque suis renunciârunt; tertij verò, igneam probationem tolerârunt; ne conscientiæ suæ, vim inferrent, aut fratribus scandalum parerent, aut Dei servitium, humanis fœditatibus permiscere viderentur.

[m] Apoc. 3. 15.

[n] Lact. divin. instit. lib. 2. 19.

[o] Sleidan. lib. 21. commẽtar.

10 Hi cùm fecerint, quod oportuit, & religionis suæ sanctitatem, sanguinis effusione consignarint, non poterant non omnium seculorum Hypocritis,

critis, aut meticulosis hominibus, ignaviam, timoremque suum exprobrare; qui, ut præsenti consulerent vitæ, aut quod minus est, divitijs, & existimationi temporali; in lupanaria superstitionum, se ingesserunt, & renitẽte aliquãdo animo, vel blanditiis aliquorum pellicientibus, vel legũ rigiditati cesserunt. Tales semper, Orthodoxi nigriore signârunt notâ, & ad quidvis duci posse existimârunt. [p] Helcesaitæ, Hæretici nominantur, & taxantur, qui fidem dissimulare, & in corde tegere docuerunt, extra quidlibet proferre. De Priscillianistis, quod habet [q] Augustinus, huc referri potest: isti etenim asseverant, in corde retinendum esse, quod verũ est; ore autem, ad alienos, proferre falsa, peccatum nullum esse; Et hoc esse scriptum, [r] Qui loquitur veritatem, in corde suo; tanquam hoc, satis sit ad iustitiam, etiamsi loquatur quisquam, in ore mendacium, quando non proximus, sed alienus hoc audit. Si in cætero sermone, sic dissimulare liceat; &, in religione, & fide abnegandâ: quod si & hanc negare fas sit, &, cuiusvis sectæ, hæresisque conventicula frequentare. Istos autem Priscillianistas, Hæreticos Augustinus pronunciavit. Eis adiungimus, aut si possit fieri, peiori habemus numero, qui usurpare solent illud, de quo dixi [1] suprà.

[p] Euseb. Histor Eccles. l. 6, 31.

[q] August. contra Mendaciũ ad Consentiũ.

[r] Psal. 15. 2.

[1] Cap. 1.

[2] *Iura, periura, secretum pandere noli.*

[2] Augustinus de Hæresibus ad Quodvult Deum.

Videant Campianus, Personius, & alii nostrates, transfugæ posteà Romani & Rhemenses; si, cùm sæpius, in istâ Academiâ, in supremum Regię Maiestatis Dominium, & Jurisdictionem, in causis Ecclesiasticis, tam quàm in civilibus, solenniter iuravissent; post discessum suum, in transmarinis,

illud Ethnici non usurpaverint, si non voce, & sermone, at re ipsâ:

[f] *Iuravi lingua, mentem, iniuratam gero.*

[f] Tullius lib. 3. Offic. Ex Euripid. ut suprà cap. I.

Si alicubi, confidenter, constanter, fideliter, sine fraude, fuco, aut dolo malo agendum sit, tùm certè in Divinis, iisqué, quæ ad immediatam animarum salutem spectant.

11 Mirum tamen est, quanta fraus in religione simulandâ, per omnia secula invaluerit. Constantini tempore, ut refert [t] Eusebius, Hæretici se Catholicos simulârunt, cùm tempore premerentur; & cætibus Catholicorum, se immiscuerunt. Ne Imperatoris iram provocaret, quantâ visus est [u] Arrius, agere pœnitentiam? quas fictas effudit lachrymas? quale symbolum fidei suæ cudit? quod tamen, utrinqué exponi poterat: quas ille scribendo, & rogando, insûpsit vires, ut in communionē Episcopi sanctissimi Alexandri reciperetur? idqué, postridiè faciendum fuerat, cùm intereà, ex Divino iudicio, creparet medius. Sed quas ille preces, putamus, quæ adire sacrificia recusasset? Similis erat magistri, discipulus, [x] Leontius Arrianus Episcopus, qui, cùm Christi æqualitatem, cum Patre suo, negare apertè non auderet, ne legibus deprehēsus, plecteretur; affirmare autē & confiteri nollet; Arrianā suam sententiā, diu celavit, non canorè efferendo, quod debuerat, *Gloria patri, & filio, & spiritui sancto*: Sed aliud fortassis, eius loco submurmurādo. Perstringit [y] Evagrius Iustinū Imperatorē, quòd ipse, Orthodoxis faveret; uxor verò ejus Hæreticis; fortassis, inquit Evagrius, deditâ uterque operâ, ut utrique placerent generi. Odiosum sanè istud, in privatâ personâ; in Rege odiosius;

[t] Euseb. de vita Constant. 3.64.

[u] Socrat Eccl. Histo. I.19. Sozomen. 2. 26.

[x] Theodoret. Hist. Eccles. 2. 24.

[y] Evag. Hist. Eccles. 4.10.

sius; cui omnia, bonâ fide agenda sunt; potissimùm verò in Religionis negotijs. Quò foedior erat, [z] Juliani Apostatæ impostura; qui, ut Christianos milites, Idolis suis, reverentiam quandam exhibere faceret, pecuniam suâ manu divisurus, juxta aram sessitat, cui simulachra adstabant; edicens, ut, quicunq; nummos cuperet accipere, thura super altari, priùs adoleret, incẽsumq; offerret. Cujus rei mysterium, sensumq; abditum, cùm milites ignorarent, solúq; Imperatori præstandum esse officiũ crederent, fecerunt quàm libentissimè. Sed posteà, cùm insidias intellexissent, reversi, pecuniam projecerunt, neq; eâ lege possidere voluerunt; ut manifestè ostenderent, quàm perfecto odio, Idolomaniam detestarentur. Dignus sanè is, qui gehennalibus mãciparetur flammis; & digni illi, qui in perpetuam rei memoriam, famâ celebrarentur; qui nec per insidias, simulachra colere tolerarent. Quibus ut adjungatur, is meretur, qui apud [a] Theodoretum, omnia dura tormenta subit, & miserè excarnificatur; potiùs quàm vel obolum, Idololatrico templo extruendo, aut reædificando donaret.

[z] Zozom. lib. 5.16. Gregor. Nazianz. in Iulianũ Oration. 1.

[a] Theodor. Hist. lib. 3.6.

12 Infinita possem, in re isthâc, utrorumq;, & recusantium, & amplectentium, proferre exempla: istis tamen supersedens, non possum tacere, ingeniosos semper fuisse homines, & nunc esse, in ijs tegendis, faciendis tamen, quibus sua adversaretur Religio; ut fierent tamen, suaderet commoditas. [b] Plutarchus, Ismeniam quendam Thebanum memorat, qui, cùm urbis suæ nomine, ad Artaxerxem Persarum Regem, Legatus mitteretur; adorare, more Persarum, Græcis tamen invisissimo, jussus;

[b] Plutarchus in Artaxerxe.

illud Ethnici non usurpaverint, si non voce, & sermone, at re ipsâ:

[f] *Iuravi lingua, mentem, iniuratam gero.*

[f] Tullius lib. 3. Offic. Ex Euripid. ut suprà cap. 1.

Si alicubi, confidenter, constanter, fideliter, sine fraude, fuco, aut dolo malo agendum sit, tùm certè in Divinis, iisquè, quæ ad immediatam animarum salutem spectant.

11 Mirum tamen est, quanta fraus in religione simulandâ, per omnia secula invaluerit Constantini tempore, ut refert [t] Eusebius, Hæretici se Catholicos simulârunt, cùm tempore premerentur, & cætibus Catholicorum, se immiscuerunt. Ne Imperatoris iram provocaret, quantâ visus est [u] Arrius, agere pœnitentiam? quas fictas effudit lachrymas? quale symbolum fidei suæ cudit? quod tamen, utrinquè exponi poterat: quas ille scribendo, & rogando, insumpsit vires, ut in communione Episcopi sanctissimi Alexandri reciperetur? idquè, postridiè faciendum fuerat, cùm intereà, ex Divino iudicio, creparet medius. Sed quas ille preces, putamus, quæ adire sacrificia recusâsset? Similis erat magistri, discipulus, [x] Leontius Arrianus Episcopus, qui, cùm Christi æqualitatem, cum Patre suo, negare apertè non auderet, ne legibus deprehēsus, plecteretur; affirmare autē & confiteri nollet; Arrianā suam sententiā, diu celavit, non canorè efferendo, quod debuerat, *Gloria patri, & filio, & spiritui sancto*: Sed aliud fortassis, eius loco submurmurādo. Perstringit [y] Evagrius Iustinū Imperatorē, quòd ipse, Orthodoxis faveret; uxor verò ejus Hæreticis; fortassis, inquit Evagrius, deditâ uterque operâ, ut utrique placerent generi. Odiosum sanè istud, in privatâ personâ; in Rege odiosius;

[t] Euseb. de vita Constant. 3.64.

[u] Socrat Eccl. Histo. 1.19. Sozomen. 2. 26.

[x] Theodoret. Hist. Eccles. 2. 24.

[y] Evag. Hist. Eccles. 4.10.

sius; cui omnia, bonâ fide agenda sunt; potissimùm verò in Religionis negotijs. Quò fœdior erat, [z] Juliani Apostatæ impostura; qui, ut Christianos milites, Idolis suis, reverentiam quandam exhibere faceret, pecuniam suâ manu divisurus, juxta aram sessitat, cui simulachra adstabant; edicens, ut, quicunq; nummos cuperet accipere, thura super altari, priùs adoleret, incẽsumq; offerret. Cujus rei mysterium, sensumq; abditum, cùm milites ignorarent, soluq; Imperatori præstandum esse officiũ crederent, fecerunt quàm libentissimè. Sed posteà, cùm insidias intellexissent, reversi, pecuniam projecerunt, neq; eâ lege possidere voluerunt; ut manifestè ostenderent, quàm perfecto odio, Idolomaniam detestarentur. Dignus sanè is, qui gehennalibus mãciparetur flammis; & digni illi, qui in perpetuam rei memoriam, famâ celebrarentur; qui nec per insidias, simulachra colere tolerarent. Quibus ut adjungatur, is meretur, qui apud [a] Theodoretum, omnia dura tormenta subit, & miserè excarnificatur; potiùs quàm vel obolum, Idololatrico templo extruendo, aut reædificando donaret.

[z] Zozom. lib. 5.16. Gregor. Nazianz. in Iulianũ Oration. 1.

[a] Theodor. Hist. lib. 3.6.

12 Infinita possem, in re isthâc, utrorumq;, & recusantium, & amplectentium, proferre exempla: istis tamen supersedens, non possum tacere, ingeniosos semper fuisse homines, & nunc esse, in ijs tegendis, faciendis tamen, quibus sua adversaretur Religio; ut fierent tamen, suaderet commoditas. [b] Plutarchus, Ismeniam quendam Thebanum memorat, qui, cùm urbis suæ nomine, ad Artaxerxem Persarum Regem, Legatus mitteretur; adorare, more Persarum, Græcis tamen invisissimo,

[b] Plutarchus in Artaxerxe.

jussus; ut & suis, sub prætextu, Regi verò etiam, specie satisfaceret, annulum è digito dimisit; inclinansque se, eum sustulit; sicque speciem adorantis prębuit. Non inferiori, quin sublimiori potiùs, illud gradu collocandum est, quod habet [c] Procopius, hunc in modum: Cùm aliquandò, magno prælio conflicturi essent Hunni, & Persæ; Persarumque sub Perozâ Duce, ita periclitaretur exercitus, ut extremum excidium metuendum esset, transigere noluit hostis, aut incolumes dimittere, nisi Peroza ipsum Hunnorum Regem adoraret. Hic cùm religionis gratiâ, nullo pacto consentire vellet Peroza, Magi consulunt, ut Sole oriente, qui tum erat Persarum Deus, versus Hunnum tenderet, & acsi Regem veneraretur, Solem more Persico adoraret. Quod & factum est. Verendum est, ne profana nostra ætas, à talibus exemplis non abhorruerit; cùm, aut qui se Religiosos dici volunt, Missas adierint, aut qui Catholicos, falsò tamen se nominant, nostris intersint precibus fraudulento modo; tuto tamen, ut ipsi cogitant. Cujusmodi is est: acsi quis auribus cerâ obthuratis templum ingrederetur, ut audire nihil possit; vel loco positus disjuncto, per unam, aut alteram horam, cum assidentibus, sermones consereret, nec lectis, aut edoctis attenderet: aut si domina sub mundo muliebri, ancillam suæ personæ non dissimilem vestiret, & ornaret, veloque, quod nostris fœminis usitatum est, vultum obtegeret, ut sic legibus sub fuco occurratur: vel si hymnorum tempore, & Psalmorũ, per Paulinam ædem iter quis capesseret, Londini; adhibitis duobus, pluribusvè famulis, qui juramento

[c] Procopius de bello Persico, lib. 1.

insidioso

insidioso contestentur, se in templo dominum suum vidisse, precū tempore. Odiosa ista est apud Deum dissimulatio, qui nō fictâ, callidaque ratione coli vult, sed apertâ, & simplici. Aut ipsi totus adhæreto, aut totus abscedito. Sed omni cave modo, ne intùs aliud, aliud foris, ex proposito, & de industriâ retineas. Tantùm etenim ab eo abes, ut præmium, & mercedem ejus à Deo auferas, ut invisus potiùs ipsi reddare. Nam si id Achillis apud Homerum, alicubi locum obtineat:[d]

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Αΐδαο πύλῃσιν
Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Inimicus enim ille mihi, æquè ac Inferorum portæ:
Qui aliud quidē occultat in mētibus, aliud verò dicit, tum apud Deū certè, & in negocijs Religionis maximè. Nec igitur palā, nec secretò Idololatrico cultui, vel cum consensu, vel cum cōsensus specie, præsens adesto. Dico rursus, nec cum consensu, nec cū consensus specie, præsens adesto.

13 Vbi tamen, (ut ad nostri Naamanis causam, aliquandò accedā propiùs, gradatim licèt, & pedetentim, ut in re difficili) dum affirmem adstandum non esse, cum consensus vel specie, præsentiā omnē qualemcunque, interdictā non existimo. Siquidē ut de violentâ coactione nihil dicam, ubi quis robore compulsus, aut cōpedibus astrictus, interesse urgeatur, (vim patiēs, ut in corporeo adulterio [e] Lucretia, ubi duo fuerant, unus tamē adulter;) rationes multæ occurrunt aliæ, secundum quas, adstare, & intueri permittitur. Si peregrè proficiscēs, per liberas Germaniæ, aut Poloniæ civitates, transiturus essem; & ut meipsum in circumstantijs particularibus erudirem,

[d] Homer. Iliad. I.

[e] Livius Histor. lib. I.

direm, per fenestras, aut cācellos facelli alicujus, ubi Missa privata celebratur, otiosus spectator starem, quid fieret observans; & ut Sacrifico molestiam non exhiberem, sic nullum reverentiæ, vel per genuflexionem, vel capitis detectionem, signum ederē, non dubito, quin tutâ hoc possem facere conscientiâ. Neque etenim consentiens accedit, aut animus, aut actus meus Sacrificio. Ità, si ex occasione, reprehensurus venirē; in quâ re, hominū sanctissimorū facta, imitanda habemus. Cùm [f] Jeroboamus aureis vitulis altaria erexisset, incensumqúe obtulisset (quâ in re, se insignis Idololatriæ reum constituit) accurrebat Propheta sacrificanti, & ex præcepto Dei accurrebat; sed ut iram Divinam, in Regem, & in Arā severè interminaretur, non ut superstitiosæ impietati se commisceret. Elias Propheta, cùm Dei majestatem, debitamque gloriam, à sacrilego Baalis honore, distinctam cuperet, in cōspectu [g] multitudinis, Baalis sacerdotibus, se arbitrum quasi stitit, inspiciēdo, alloquendo, observando, irridendo. Quis loco poterat esse conjunctior, licèt animo esset disjunctissimus, cùm ipsorum circa altare saltationē, aut transcensionē potiùs, cùm exclamationes sonoras egregiè, cùm sui sectionem, & cum cultris dilacerationē præsens aspiceret. Eliæ tamen pietas, zelus, cædes versus Baalitas, scopus, sermo, finis ad quem collimavit, à vel minimâ impietatis labeculâ, aut profanationis suspicione eximunt. Superstitionis nihilo erat magis incusandus, quàm Magiæ Moses, cùm incantatores Pharaonis, suas exercere præstigias, præsens animadverteret. Sed & istis adiungendus est Paulus Apostolus, qui [h] Athenis, superstitiosa intueri

[f] 1. Reg. 13. 1.

[g] 1. Reg. 18. 25.

[h] Act. 17. 16. 23.

intueri non recusaverat. Apud Danielem verò aliquid est, quod ad causam nostram accedit proximè, licèt in omnibus circũstantiis non consentiat. [i] Cõgregavit Rex Nabuchodonosor, præfectos, Legatos, Præsides, urbium, & Provinciarum suarum, ut coram aureo simulachro adoraturi, prostrati procũberent. Non manserunt domi suæ, tres pueri, Shadrach, Meshach, & Abednego: venire non repugnârunt, in locum Idololatricum, & ubi actus Idololatrici pręstandi essent: sed Regis placitũ expectaturi, cum reliquis conveniunt. ubi verò corpora incurvanda essent sua, & in faciem procidendum fuisset; ecce, reliquis deiectis, hi soli stant, & mori potiùs elegerunt; quàm vel minimâ corporis inclinatione, Idolum honorare. Quis præsentiam istorum, linguâ malâ, & petulanti, vituperabit, aut insectabitur, & non inflatis potiùs, ut aiunt, buccis, ipsorum constantiam, fortitudinem, magnanimitatem prædicabit, & verè admirabitur?

[i] Daniel. 3. 2.

14 Ista igitur apertè docent, Naamanem in eo simpliciter nõ peccâsse, quòd Rimmonis limina calcârit, aut simulachrum aspexerit, (ut de eo, tanquam facto disputemus, quod futurum Naaman credidit,) nisi aliquid adiungeretur aliud. Si animo accessisset Hypocritico, aut obsequio ullo superstitioso, reverentiam Idolo exhibuisset, excusari tum non poterat. [k] Profitetur tamen apud Helizæum, se alienum non culturum Deum, sed Jehovam tantùm. Malâ igitur mente, nihil factum est. Is solus scrupulus animo inhæret, num, ut Civile, Politicũ, Obsequiosum præstaret officiũ, non Religiosum, adesse liceret. Ex Civili munere, sive Aulico,

[k] 2 Reg. 5. 17.

à Regis latere discedendum ei non fuerat, ut qui fortassis, summus ei esset Cubicularius, æquè atque Militiæ [1] Præfectus. Cùm ad superstitiosum exercendum cultum, Rex templum ingrederetur, incubuit Naamani, illiusque est innixus manui, sive imbecillitatis causâ, quatenùs senex esset; sive majestatis, quatenùs Rex. Hîc cùm commodè, non posset Princeps adoraturus Rimmonem, ejus manui, manum suam inijcere, nisi genua flectendo, etiam Naaman se incurvaret, veritus est Naaman, ne illa ipsius incurvatio, quæ Regi facta est, pro adoratione simulachri haberetur. Et ista cogitatio, mordere cõscientiam & pungere videtur. Prophetæ responsio ambigua est, & quæ materiam hujus argumenti ventilandi, nonnullis suppeditavit: *Ito pace*; quod aliqui interpretatum volunt, ut non responsio, ullâ ex parte, quæstioni sit, sed mera valedictio, ad rem ipsam non habito respectu. Alij, *Ito pace*, id est, Orabo pro te, ne hoc crimen tibi imputetur; aut ut in viâ vel posthàc, tibi animus immutetur, ne ista facias. Ità & Naamanem obsecrantem faciunt, ut pro eo Propheta apud Deum intercederet, cui respondet, *Ito pace*; id est, hoc tibi annuo: orabo pro te. Et adijciunt, quis scit, si Naaman, Elizæi precibus apud Dominum intercedentibus, ità converteretur, ut vel officio suo cederet, vel tantùm in accessu ad Idolum abstineret; & conscientiam suam, fidemque in Jehovam, manifestò profiteretur. *Ito pace*, habent aliqui, id est, Deus tibi fœlix iter, faustumque impertiat; sed non dicit Elizæus, ito, & sic facito, vel consilium dando, vel approbando. Sed harum interpretationum aliquot, rem in medio relinquunt; dum simplicem præ se ferant

[1] 2. Reg. 5. 1.

rant valedictionem, sine responsione aliquâ. Alij è conjecturâ loquuntur; nam si velimus cedere, Prophetam pro eo oravisse, æquè illud esse poterat, ut Dominus, illi tranquillitatem animi in re licitâ donaret, atque in re malâ immutationem. Iis, qui nec laudâsse, nec jussisse, nec approbâsse asserunt, facilè occurritur; cùm dicetur, Prophetam econtrà nullo modo factum prohibuisse, vituperâsse, aut refutâsse. Ita omnia adhuc sunt incerta, & dubij hîc feruntur viri doctissimi. Solum illud superest, quòd bis geminaverit; *In hoc mihi Dominus sit misericors*, ubi veniam videtur petere, ut in causâ non legitimâ. Verùm teneram id arguit conscientiam, non edoctam satis, & informatam, quid reverà nefas esset, & simpliciter non liceret; quæ cùm tamen pia esset, & devotionis plenissima, scrupulo citò percellitur, & vel minimam offensiunculam libenter non dat. Nihil igitur certi, ex contextu elicitur. Quod ad caput ergò quæstionis attinet.

15 Ecclesiæ Europææ, quantum ego indagando investigare possum, in hoc cardine rem omnem vertunt; ut ob Politica obeunda munia, si quis vocetur; aut si ex onere officij quod sustinet, illud ipsi incumbat onus; Civilis obedientiæ gratiâ, non Religiosæ, possit interesse; ita tamen, ut nec gestu, nec voce, Idololatricis spurcitijs honorē cedat. Ubi primò advertendum est, oportere ex officio illuc accedere: in quâ causâ illud est, acsi Serenissima Regina nostra, dum sacellum Regium cum solenni pompâ adeat, viro nobili, aliàs Pontificio, gladium Regalem gestare, imperaret. Nam cùm sui sit arbitrij, ad illud munus, quemlibet destinare; ad obedientiam experiendam,

endam, vel animi sui gratiâ, & cuipiam tali, pro arbitrio eam provinciam imponat. In hâc causâ per duodecim Delegatos suos, Concilium Tridentinū Nobilibus permisit, ut sine controversiâ, id munus exequantur, si [m] Howletti libro suprà citato, velimus fidem adhibere. Is author, sub quatuor certis conditionibus, quas Qualificationes appellat, licere Orthodoxo, ad Hæreticorum Ecclesiam, tempore Liturgiæ suæ accedere, ex præcepto Principis, demōstrat: ut si quis, cum reliquis Consiliarijs, aut Deputatis, Paulinam ædem adire, Londini juberetur; Primò, inquit, propter merum sit temporale, vel civile negotium. Secundò, ob particulare aliquod Politicum negotium. Tertiò, ea causa conveniendi, palàm cognita sit, ne ignorantibus scandalum pariatur. Quartò, nullum exhibeatur reverentiæ signum, aut genu-flectēdo, aut caput detegendo. Quod permisit Concilium Tridētinum, id exercet aula Regia apud nos; neq; Proceres omnium partium rē aliter interpretari solent, ut, si opus esset, amplissimis testimonijs, & experientijs, liceret confirmare. Deerat hoc Officium, Civileq, negocium, Nobilibus multis è numero Protestantiū, cùm aliquando Carolus Quintus, summiq; Imperij Electores, [n] Augustæ congregarentur. Ibi cùm Imperator ex zelo suo, ante omnia tentata, aut proposita Reip. negotia, Missam audire solennem cuperet, ad templi usq; fores, è Reformatâ Religione, multi Principes, euntē comitati sūt; ulteriùs autem pergere renuerunt. Si ipsis, ex Civili aliquo, quod gestâssent munere, incubuisset, personæ Principis, inter sacra adstare, puto sanè non abnuissent. Id quod in Duce Saxoniæ, eo tempore exper-

[m] Howlettus lib. rationum recusandi, Ratione 4.

[n] Petrus Martyr in 2. Reg. 5.

expertum est: quod cùm nobile sit exemplum, non pigebit brevissimè, rem ab initio repetere, & commemorare.

16 ° Carolus ille Quartus, Romanorum Imperator, qui modum, & ordinem, Imperatoris Germaniæ eligendi, & honorandi condidit, in solenni illo Edicto, quod Bulla Aurea nuncupatur; ut septem destinavit Electores, Bohemiæ Regem, Archiepiscopos tres, totidemque Seculares, uti nominant, Principes; ità certum cuiq; constituit munus, ad uberiorem Cæsareæ Majestatis dignitatem, & amplitudinem: Bohemiæ Regem, Sacratissimi Imperij Archipincernam; Archiepiscopum Coloniensem, per Italiam, Archicancellarium; Archiepiscopum Trevirensem, per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarium; Archiepiscopum Moguntinum, per Germaniam, Imperij etiam Archicancellarium: Comitem Palatinum Rheni, sacri Imperij Archidapiferum; Ducem Saxoniæ, Archimarescallum; Marchionem Brandeburgensem, Archicamerarium. His omnibus, cùm honoris multa tribuat insignia, tum potissimùm capite sequenti, cujus Titulus est, *De ordine processionis Principum Electorum, & per quos insignia deportentur*. Saxoniæ Duci id speciatim donat, ut Regalem ensem deferat, & cum eo, Imperatorem, seu Regem Romanorum immediatè præcedat. Quod cùm facere, Duces Saxoniæ soleant, ab illo usque tempore; nominatimque, & expressè præcipiatur, *cùm processio fit ad res sacras*, verissimum est, Caroli Quinti tempore, motam fuisse Quæstionem hanc

° Bulla Aurea.

V

endam, vel animi sui gratiâ, & cuipiam tali, pro arbitrio eam provinciam imponat. In hâc causâ per duodecim Delegatos suos, Concilium Tridentinũ Nobilibus permisit, ut sine controversiâ, id munus exequantur, si [m] Howletti libro suprà citato, velimus fidem adhibere. Is author, sub quatuor certis conditionibus, quas Qualificationes appellat, licere Orthodoxo, ad Hæreticorum Ecclesiam, tempore Liturgiæ suæ accedere, ex præcepto Principis, demõstrat: ut si quis, cum reliquis Consiliarijs, aut Deputatis, Paulinam ædem adire, Londini juberetur; Primò, inquit, propter merum sit temporale, vel civile negotium. Secundò, ob particulare aliquod Politicum negotium. Tertiò, ea causa conveniendi, palàm cognita sit, ne ignorantibus scandalum pariatur. Quartò, nullum exhibeatur reverentiæ signum, aut genu-flectẽdo, aut caput detegendo. Quod permisit Concilium Tridẽtinum, id exercet aula Regia apud nos; neq; Proceres omnium partium rẽ aliter interpretari solent, ut, si opus esset, amplissimis testimonijs, & experientijs, liceret confirmare. Deerat hoc Officium, Civileq, negocium, Nobilibus multis è numero Protestantiũ, cùm aliquando Carolus Quintus, summiq; Imperij Electores, [n] Augustæ congregarentur. Ibi cùm Imperator ex zelo suo, ante omnia tentata, aut proposita Reip. negotia, Missam audire solennem cuperet, ad templi usq; fores, è Reformatâ Religione, multi Principes, euntẽ comitati sũt; ulteriùs autem pergere renuerunt. Si ipsis, ex Civili aliquo, quod gestâssent munere, incubuisset, personæ Principis, inter sacra adstare, puto sanè non abnuissent. Id quod in Duce Saxoniæ, eo tempore exper-

[m] Howlettus lib. rationum recusandi. Ratione 4.

[n] Petrus Martyr in 2. Reg. 5.

expertum est: quod cùm nobile sit exemplum, non pigebit brevissimè, rem ab initio repetere, & commemorare.

16 ᵃ Carolus ille Quartus, Romanorum Imperator, qui modum, & ordinem, Imperatoris Germaniæ eligendi, & honorandi condidit, in solenni illo Edicto, quod Bulla Aurea nuncupatur; ut septem destinavit Electores, Bohemiæ Regem, Archiepiscopos tres, totidemque Seculares, uti nominant, Principes; ità certum cuiq; constituit munus, ad uberiorem Cæsareæ Majestatis dignitatem, & amplitudinem: Bohemiæ Regem, Sacratissimi Imperij Archipincernam; Archiepiscopum Coloniensem, per Italiam, Archicancellarium; Archiepiscopum Trevirensem, per Galliam & Regnum Arelatense Archicancellarium; Archiepiscopum Moguntinum, per Germaniam, Imperij etiam Archicancellarium: Comitem Palatinum Rheni, sacri Imperij Archidapiferum; Ducem Saxoniæ, Archimarescallum; Marchionem Brandeburgensem, Archicamerarium. His omnibus, cùm honoris multa tribuat insignia, tum potissimùm capite sequenti, cujus Titulus est, *De ordine processionis Principum Electorum, & per quos insignia deportentur*. Saxoniæ Duci id speciatim donat, ut Regalem ensem deferat, & cum eo, Imperatorem, seu Regem Romanorum immediatè præcedat. Quod cùm facere, Duces Saxoniæ soleant, ab illo usque tempore; nominatimque, & expressè præcipiatur, *cùm processio fit ad res sacras*, verissimum est, Caroli Quinti tempore, motam fuisse Quæstionem hanc

ᵃ Bulla Aurea.

hanc, ex parte Ducis Saxoniæ; num ob Civile obeundum munus, liceret Missæ interesse? Cui [p] responsio ea, à Melancthone, cęterisque Theologis data est, *licere adesse; quòd ad suum officium, esset evocatus, non ad Missam, velut ad cultum Divinum.* Cui acquievit Saxo, & cum Georgio Brãdeburgico solo, ingressus est, reliquis Protestantium foris stantibus. Vbi, ultra omnem controversiam satis piè, res transacta est, si apertâ Protestatione, vel scripto, vel voce editâ, non Religionis gratiâ, se hoc facere contestaretur. Id, quod tanquam Theologus, viris omnibus nobilibus faciendum suaderem, si causâ simili teneantur; ut Protestationem nempè, de ratione consilij sui facerent; ut & suæ famæ, & conscientiæ aliorum infirmiorum consulere censeantur. De Duce Saxoniæ, parùm refert, num verbis specialibus, de facto isto caverit, cùm è generali Protestatione, contra Religionem Romanam, (unde & ipse, & alij confœderati, primò Protestantes dicti sunt) animi sui sententiam priùs aperuisset.

[p] Sleidan. lib. 7. Commẽtar.

17 Secundò observandum est, nullum reverentiæ signũ mysterijs impijs exhibendum esse. Nam, si quando non postulat executio Civilis Officij, cum reliquis genu flectentibus, inter elevationem hostię, ut appellant, aut ad rem similem, nos velimus incurvare; Religiosum nunc, aut superstitiosum servitium præstitimus, & in apertam offensionem incurrimus. Imò si nolentibus nobis, fiat aliquid, quod honorem Idolo addat, ex nostrâ parte, apertè reclamandum est, ut ad rem abominandam. [q] Theodoretus insigniter memorabile habet exemplum, Valentiniani, qui posteà Imperator designatus est.

[q] Theodor. Hist. Eccl. 3. 15.

Is, cùm militum hastatorum, in Palatio Juliani Apostatæ merentium, Tribunus esset, è dignitatis ratione, Imperatorem fuerat præcessurus. Julianus ad Fortunæ fanum profecturus cùm esset, (id quod inter choreas, & saltationem fecerat) non recusat Valentinianus, (ut ex munere Civili oportuit) antecedere, adeoque templum ingredi. Sed cùm more receptum fuerat, ut Æditui accedentes, aquâ lustrali, quotquot ingrederentur, spargerent, venit unus, qui & Valentinianum lustraret. Is autem, ubi vidit aquę guttam, suæ læuæ aspersam, pugnis cædit Æditum, seque inde, non expiatum, sed turpi labe pollutum clamitat. Quod factum cùm tyrannus execrabilis Julianus conspicaretur, in exilium eum relegavit. Homo verè Christianus, qui Civilem obedientiam, in re, & loco profanis ostendit, sed à Simulachrorum honore, illibatam conscientiam custodivit. Ut cæteri pugno feriant, non requirimus; sed detestationem suam manifestam faciant. Quę de Nobilibus & Officiarijs, versus Principem suum dicta sunt, de alijs minoris conditionis, etiam sunt intelligenda. Ancillæ, ad dominæ pedes invigilanti, & ministranti, necessitas ingruit, ut, sicut alibi, dominæ vestes magnificentiores à tergo ferat, sic in templum, ubi Missa contaminata canitur. Si tanquam heræ, magistræque pedissequa velit ingredi, non vetatur: sin corporeâ submissione, genu-flexione, incurvatione, vel minimũ rei deferat obsequium, malè factum est. Eâ verò exceptâ reverentiâ, ut pergat, non impedimus. Et hęc aperta est [r] Petri Martyris sententia, de pedissequâ, quę & alia de Nobilibus necessariò includit.

[r] Petr. Martyr. in 2. Reg. 5. Vide loca cõmunia. De Naamane Syro.

18 Nova ista non sunt, quorum similia, magnâ ex parte, in tribus pueris apud Danielem, & in Valentiniano comperimus. Aliena non sunt, quæ Germanicis Theologis tantâ celebritate congregatis; quæ Regno nostro, & Reip. Anglicanæ; quæ Petro Martyri; ità quæ Howletto, imò Concilio Tridentino, vel ejus Delegatis, post deliberationem placuerunt: Quòd si cuiquam, vel nova, vel aliena videantur, sciat vnum è veteribus disertè ista approbâsse. Et ut ingenuè fatear, quod res est, è remotâ Ecclesiæ antiquitate, unum solum, meâ modicâ lectione adhuc reperi, qui de istis ex professo, imò obiter disserit. Is est [f] Tertullianus, libro suo de Idololatriâ, cujus, quoniam tam apertum est judicium, sicqúe cum nostro instituto faciens, non pigebit verba referre. *Vtinam quidem*, inquit, *nec videre possimus, quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam ita malis circundedit seculum Idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non Idolo officiosos habent. Planè ad Sacerdotium, aut Sacrificium vocatus, non ibo; proprium enim Idoli officium est; Sed neque consilio, neque sumptu, aliâve operâ, in eiusmodi fungar. Si propter Sacrificium vocatus, adsistam, ero particeps Idololatriæ; si me alia causa coniungit sacrificanti, ero tantùm spectator sacrificij: Caterùm quid facient servi, vel liberi fideles, item Officiales, sacrificantibus dominis suis, vel Patronis, vel Præsidibus adhærentes. Sed si merum quis sacrificanti tradiderit, imò si verbo quoque aliquo, sacrificio necessario, adiuverit, minister habebitur Idololatriæ. Huius regulæ*

[f] Tertullian. de Idololatr.

memores,

memores, etiam Magistratibus, & Potestatibus, officium possumus reddere, secundum Patriarchas, & cæteros Maiores, qui Regibus Idololatris, usque ad finem Idololatriæ apparuerunt. Hæc manifesta est Tertulliani sententia, cum nostrâ conveniens: licere adesse, in quibusdam, quæ nos homini, non Idolo, officiosos habent. Et secundum ista, de Naamanis facto, (si modò id factum fuerat, quod futurum ipse præ se tulerat) judicium damus; videlicet, si ob honorem solum, Regi suo domino cedendum, templum ingrederetur, ipsum non peccâsse; præsertim, si de pietate, in Jehovam unicum, professionem edidisset; sin cum ullo ad Idolum obsequio, aut obsequij specie, accessisset, non potuisse excusari.

19 Si obiiciantur alia, non est difficile respondere. Ut si interrogetur, quamobrem potiùs relictâ patriâ, non accessit Hierosolimam, ubi à tali periculo, scrupulóque omni immunis esse poterat; & quare ipsi Elizæus id non præceperit? occurrit [c] Petrus Martyr, & tres assignat rationes. Prima est, ut doceret, omni loco liberum esse, Deum colere; tam Naamani in Syris, quàm Judæis, Hierosolymis. Secunda est, ut fama gloriáque Dei, tam inter Aramitas, & Gentes, quàm apud suos celebraretur, id, quod ex ejus reditu in patriam, necesse erat fieri. Et tertia, quia isto tempore, Hierosolima conspurcata esset, ut, si migraret in locum nihilo meliorem, se subduceret. Istis igitur de causis, in suâ patriâ voluit Naamanem manere Deus. Quòd si ulteriùs urgeatur: Cùm ergò rediisset, Officio suo, munerique Politico, rectè poterat cedere; sicque

[c] Petr. Martyr in 2. Reg. 5.

magis, scrupulo isto, animum eximere, & liberare: Negare non possumus, quin, si suæ non potuisset satisfacere conscientiæ, rectè fecisset, si dignitate discessisset; id, quod olim [u] Jovianus, qui posteà Imperator fuerat, apud Julianum Apostatam, fecerat: Sin ex simplici scientiâ, & non fictâ, aut dissimulatâ, se à spurcitie immunem invenisset cõservatum, quid ni liberè frueretur dignitate suâ, ut apud Pharaonem Joseph, apud Artaxerxem Nehemiah, apud Assuerum Esthera, apud Babylonium Daniel. Pij etenim homines, cùm Principibus etiam malis propinqui sint, & bona promovere, & malis remoram objicere, multoties possint. Et in istis efficiendis, ut malis pergendum non est medijs, quò pij succedat aliquid; sic cavendum est, ne Ecclesiæ desint, vel potius Deo, qui tali eos, ut [x] Estheram fortassis, collocavit loco, quò ejus gloriam sartam-tectam, & incolumem, pro virili suâ parte tuerentur. Sicq;, cùm de Naamane isto, quid senserim, docuerim, orandum puto Deum, ut puro nos spiritu, per omnem vitã dirigat; primoq; innocentiæ, & integritatis donum, deinde prudentiæ, & cœlestis sapientiæ, velit impertire, ut [y] piè, iustè, sobriè degentes in hoc seculo, & beatam spem expectemus, & apparitionem gloriæ consectemur, per Christum Jesum, cui cum Patre, & Spiritu Sancto, sit honor, & gloria, nunc, & in secula seculorum. Amen.

[u] Socrat. Hist. lib. 3. 19.

[x] Esther. 4. 14.

[y] Tit. 2. 12.

DE FUGA MINISTRI, IN PERSECUTIONE, AUT PESTE.

CAP. 5.

Act.9.23. Expletis autem multis diebus, inierunt simul Iudaei consilium, Saulum interimendi.

24. Sed intellectae sunt Saulo insidiae eorum: adservabant autem portas, die ac nocte, ut eum interimerent.

25. Acceptum igitur eum discipuli nocte, per murum demiserunt, fune submissum in sportâ.

1.3. Causae Paulum ad fugam impellentes. 4.5.6.7. laico in persecutione licet fugere. 8. Non sic Ministro gregis. 11. Exempla, & rationes, pro fugâ pastoris, ducuntur, & solvuntur. 17. Laico pestis tempore licet divertere. 19. Sed Ministro manendum est.

Erissimum illud est, Johannis Baptistae, [a] *posse Deum ex lapidibus, excitare filios Abrahamo.* Qui etenim illos, ad fidem in Christum converterit, quorum corda silice, & adamante fuerint duriora, ipsisque cautibus, (quod ad pietatem spectat) asperiora, rectè filios è saxis, credenti Abrahae dicatur excitare. Cujus si in

[a] Matth.3.9.

alio quoquam, in Paulo Apostolo, periculum factū est; qui, cùm cædem, & sanguinem, adversus omnes Salvatorem profitentes, spiraret; literisque, rogatu suo, à summo Sacerdote acceptis, minabundus Damascum versus proficisceretur; ut omnes ejus viæ, arreptos, vinculisque onustos, Hierosolimam abduceret, incarcerandos, accusandos, occidendos, præcellenti de cœlo lumine, tanquam fulgure, perstrictus oculis, voceque cœlitùs emissâ, percussus corde; lupum exuit subitò, induitque agnum; animoque penitùs immutatus, post colloquium, cum Ananiâ quodam habitum, (cujus manu visum receperat, & sacris Baptismi aquis expiatus fuerat,) in Christi præconizationem, singularemque ejus gloriæ dilatationem erupit. Ità, per conspicuam Dei misericordiam, deceptus est Satanas, qui, cùm leonem, tigridemque rapacem, adversus Christifideles, se crederet emisisse, qui lanienam virorum, fœminarum, omnium faceret, proque virili suâ, Ecclesiam sanctorum radicitùs extirparet, molisque ipsa fundamenta subrueret; pro Christo pugilem, & Coryphæum quendam, Antesignanum celeberrimum reverà dedit, cujus, in multis millibus, nescio an orbe toto, vix quisquam similem reperire possit. Maligno siquidem deposito furore, concionari cœperat, publiceque denunciare, Jesum Christum Dei magni esse unigenitum; idque publicè, & privatim sermone præ se ferre, argumentis veritatem demonstrando, & Judæos pervicaces, vi ipsâ Scripturarum pervincendo.

2 Quo successu inopinato, ut præ gaudio exultabant

tabant fratres, ità indignari cœpit Satanas, militesque sui fremere. Nam cùm ipsum, quem in casses, laqueosque suos, infinitas perducturum animas speraret, jam armenta abigere, prædamque locupletem avertere conspiceret, quàm indignis, putamus, tulit ille modis, qui perniciem humani generis ardenter desiderat? Ministros igitur, famulosque suscitavit suos, tenebrarum, malitiæque filios, qui ex insidiis illum intercipere, & occidere tētarent. Qui vi alios prius petiit, nunc ipse vi petitur, laqessens lacessitur, occidens occidendus quæritur. Ità quamprimum pietati, & religioni sinceræ, quisquam nomen dederit, non deerunt, qui linguâ venenatâ maledicere, qui Theonino mordere dente, qui manu sanguinariâ perimere aggredientur. Et Isaacus Ismaëlem habebit suum osorem fratrem, Cainum Abel, & Doegum David. [b] Luci cum tenebris, fideli cum infidelibus, sanctissimis Christi famulis, cum devotis Christi hostibus, quæ erit consensio? Cùm igitur, & Christi, & suis popularibus, & compatriotis Judæis, [illegible] demonstrasset, Mariæ filium, esse ipsum Messiam, Redemptorem Israëlis, eumque quem cōtempsissent, & despectui habuissent, imò fœdo turpique crucifixissent modo, futurum judicem vivorū, & mortuorū; consiliū inierunt Judei isti in Damasco degentes, ut ipsi os obthurarent, non silentiū imponēdo, sed è luce illū penitus, & vivis tollendo. Quod ut sine controversia effectum darent, ad urbis portas, custodes apposuerunt, qui transeuntem subitò adorirentur. Truculentæ illorum iræ, exceptâ vitâ, nihil poterat satisfacere.

[b] 2. Cor. 6. 14.

3 Verùm Deus, qui & capillos recensere, & passerculos observare, pro insigni suâ omniscientiâ consuevit; rabidissimis leonibus quasi frænum injecturus, malitiam malignantium clementer compescuit. Conjuratorum hostium consilia, patefecit fratribus Paulum amore complectentibus; qui innocentis sanguinem nolentes effundi, multò maximè verò juvenis, tantâ indole, tam accuratâ eruditione, tam suavi eloquio, tam celebri in Scripturis peritiâ, qui eousque posset posteà honorem Dei promovere, & fidem Christi propagare; quo poterant adminiculo ferebant opem, & ab acie gladij, ut poterant, tutabantur. Postquàm igitur eum non in propatulo degere, sed in locis abditis delitescere passi essent; ut ferebat occasio, nocturnis tandē obducti tenebris, ad urbis mænia accesserunt, & vel repertâ viâ, vel muro perforato, fune, in sportâ pendentem demiserunt. Ita fugit Paulus, festinando, gradúmque accelerando, à morte ereptus. Et seipsum melioribus Ecclesiæ temporibus reservans, factus posteà est instrumentum, organumque illustre Divinæ laudis, per omnes orbis plagas. Quod ut missum faciamus, & de ipsius laboribus dicere supersedeamus, investigandum est potiùs, num & aliis hominibus Paulina persequenda sint vestigia? num & ipsis etiam liceat, se furori tyrannorum secretò subducere? Discerpitur etenim nonnunquàm fidelium congregatio, Domitianorum & Diocletianorum gladio; & fremunt mali homines, ita ut navis Ecclesiæ, in Oceano mundi, præ turbinibus, & procellis, interitura videatur; cùm, licèt volens sit spiritus, & promptus, infirma possit esse caro. Quando

do igitur, qui pro Christo, & ejus confessione, rubore suffunditur, à judice mortuorum sit amandandus in gehennam; operæprecium est indagare, num pietatem colenti, in persecutione liceat fugere: præsertim autem Ministro Evangelij, qui gubernatoris agit vices, & non minùs pro alienis, quàm pro suâ, animabus, rationem est redditurus. In eo igitur, & alio non multùm dispari, propter rerum similitudinem, fugâ scilicet, cùm pestifera sævierit tempestas, hodierna, duce Deo, versabitur disputatio.

4 Naturalem quendam vitæ amorem, ingeneravit omni homini Deus, quo ad sui conservationem perpetuò fertur, neque libens in perniciem incurrit. Et, ut rectè est observatum, hoc desiderium Deus indidit, ne levi quâlibet arreptâ occasione, tristitiæ, vel invidiæ, vel metus, violentas sibi quisquam inferret manus, mortemque consisceret. Unde, brevi id contingeret tempore, ut eversum, & dissipatum humanum genus disperiret. Quod cùm noluerit hujus fabricæ artifex prudentissimus, desiderium suæ tuendæ, fovendæque vitæ, cuivis dedit. Et hujus affectus recordatio, homini Christiano, calcar potest addere hæsitanti, ut injuriam venientem evitet, se è medio subtrahendo. Cùm enim Deus æquè pedes suppeditârit, quibus discedere valemus, atque manus ad pugnandum, & dorsum ad ferendum, & tolerandum omnia; pedum etiam beneficio aliquando est utendum. Præsertim, cùm id nullo Scripturæ sacræ testimonio prohibeatur. Cui id accedit etiam, quòd virium suarum nemo ita potest sibi esse conscius, ut non & suam,

in cruce perferenda debilitatem agnoscat. Quis etenim è carne, sanguineque constitutus, sibi tantam patientiam spondere præsumat, ut (cùm posset priùs tutò decedere) ferarum dentibus, igne, gladio, eculeo, exquisitissimis tormentis circumseptus, non contremiscat, & linguâ titubet, & mente vacillet? [c] *Corruptibile corpus aggravabit animam*, & spiritui per se prompto, appendit debilis, & infirma caro. [d] *Qui stare videtur sibi, videat ne cadat*. Non [e] *superbiendum unquam est, sed timendum potiùs*. [f] Qui tantos sibi spiritus gestasse visus est, ut, si omnes Christum desererent, ipse non esset deserturus; & si moriendum esset, discedere recusaret; cùm ad ipsum capitis discrimen pervenisset, in aulâ Sacerdotum Principis, suum Dominum tremebundus, & meticulosus abnegavit. Annon igitur erit satiùs, cùm obtulerit opportunitatem Dominus, occasionē omnem prȩscindere, & amputare, in exiliū proficiscendo, aut in eremum, aut cavernam, aut sylvam abeūdo, quàm periculo venienti speciosè audacterque se obtrudere, & in ipso conflictu ità tergiversari, & miserè succumbere, ut fidei, professionique Christianȩ, apud exteros, & inimicos Dei, labecula aspergatur? Quòd si inter fugiendum, quis deprehensus fuerit, tum Divinum auxilium, est precibus implorandum; ut robur, & confidentiam velit addere, ad nomen ipsius, mortem usque, confitendum. Sed id, post experta omnia.

[c] Sap. 9. 15.
[d] 1. Cor. 10. 12.
[e] Rom. 11. 20.
[f] Mat. 26. 33.

5 Qui vixerunt olim pij, in turbinibus, & procellis, in hunc portum, & non alium, navigia sua applicuerunt. [g] Cùm Davidi insidias tetendisset Saul, & per seipsum, & alios quotidiè illum quæreret, ut inter-

[g] 1. Sam. 21. 1. cap. 22. 1. & 27. 1.

interficeretur; in exteras nationes peregrè proficiscendo, in montibus, [g] & sylvis, & speluncis se abdēdo, David vitam tutatus est. [h] Annon etiam per fugam, furori Absolonis se subduxit? Post Stephani cędem, fideles omnes, [i] Apostolis solis demptis, fugiendo sunt subrepti. Qui [k] Epistolâ ad Hebræos, tãtis laudibus, ac elogijs celebrantur; ut dicatur, mundũ ipsorum consortio fuisse indignum; perhibentur tamen, in ovium, & caprarum pellibus circumerrâsse, & in eremis, in montibus, in speluncis, caveisq; terræ vixisse. Quod, quid aliud fuerat, quàm noluisse istos, tyrannorum manibus, & malis dominantibus sese immiscere? Cùm post ascensũ Christi ferveret undiquaque persecutio, & fideliũ grex miserè discerperetur, & dilaniaretur; per annos trecentos, usque ad Constantini tempora, è loco in locum migrare, & in tutiora se recipere, multotiès fideles coacti sũt, ut Ecclesiastica Eusebij meminit historia: sicquè, & Divinæ gloriæ, & suæ incolumitati consultum censuerunt: cùm nonnulli, qui sibi visi sunt robustiores; dum periculum operiendo, experiri voluissent ultima, sub onere defecerunt, & Idolis thura adolentes in altaribus, Ecclesiæ, suisque conscientijs, scandalũ dederunt; & ansam [l] Novato porrexerunt, schisma faciendi; ipsosque, ad Eucharistiã non esse ampliùs admittendos, disputãdi. Quantò potius fuisset, si, cùm suam ex se debilitatem considerâssent, paulisper divertissent. Id, quod ex Nostratibus quãplurimi fecerunt, Marianis tẽporibus; & ex Gallis, Belgisque, plures nostro seculo, qui tẽpestatibus domi sęvientibus, magno numero, ut in reliquas orbis partes, sic in nostram Angliam, ut ad asylum aliquod

[h] 2. Sam. 15. 14.

[i] Act. 8. 1.

[k] Heb. 11. 37. 38.

[l] Euseb. Eccl. Histor. lib. 6. 35.

confugerunt. Et piè sanè. Non est etenim cujusvis, eousque Dominum (qui libertatem abeundi concessit) tentare, num mirè velit in angustiis, auxilium subministrare, & è tricis expedire; aut constantiam patiendi, moriendiqúe submittere, cùm alia is obtulerit abeundi media, quæ temerè, & pervicaciter non sunt repudianda.

6 Tertulliani igitur, si non explodenda, propter tanti viri honorem, abjicienda tamen est sententia, & repudianda; [m] qui libro suo, de Fugâ in persecutione, standum esse solummodò, & confitendum docet; ac ad mortem usqúe, non vertendum tergum. Christiani, illo tempore graviter afflicti, se, periculis imminentibus, vertendo solum, aut clàm se ad amicos recipiendo, subtraxerunt; & eorum aliquot, pecuniâ suâ, hoc est, Tributum & Vectigal locupletius, Imperatoris fisco, persolvendo, pacem redemerunt suam. Sic Pręfectos & Proconsules placatos reddiderunt, non tàm donis secretis, & largitionibus, quàm aperto censu; eo freti Salvatoris testimonio, [n] *facite vobis amicos è Mammonâ iniquitatis*. Hoc, ut nullâ faciendum ratione, improbat Tertullianus, & fugam nullo capessendam modo censet: id Christi, [o] *Cùm in unâ vos persecuti fuerint urbe, fugite in aliam*, ut temporale præceptum interpretans, Apostolis datum, non aliis; Apostolis inquam solis, ne ipsis occisis, Evangelium non prędicaretur, verùm extingueretur penitùs. Sed infirmum est fundamentum, quo tota eius nititur structura: quia etenim nihil contingit nobis, nisi disponente Deo; neque ulla est persecutio, nisi ex speciali Omnipotentis voluntate, neque eius benepla-

cito

[m] Tertull. De fugâ in persecutione.

[n] Luc. 16. 9.

[o] Matth. 10. 23.

cito obstandum est; fugiendum non esse concludit. Verè sanè inquit nihil fieri, nisi volente Deo: At qui nosti, nunc accessisse tempus, quo vitam auferri voluit Deus? Et hosti permittit insequi, & tibi fugere. In utrisque, ipsius eminebit gloria. In tentationem idem ducit, & è tentatione expedit. Intendi malum patitur, & liberat à malo. Qui produci adhuc vult, & prolongari vitam tuam, medium etiam producendi suppeditat, idque per secessum. Malè aliàs à Saulis conspectu se subtraxisset David, nisi evitandæ essent insidiæ: cùm eę non nisi volente Deo, poterant tendi. Eum igitur Tertulliani librum, [p] Hieronymus, specialiter contra Ecclesiam scriptum existimat, ut & illius etiam alios. Facessat igitur ea opinio. Licere Laico se submovere, non dubitamus; cùm propria conscientia, non motu temerario, sed sobrio, & prudenti, abeundum suggerit: cumquе econtrà, Divinus spiritus, qui cogitationibus famulorum suorum pręest, manendum esse, & mortem oppetendum consideratò submonebit, si res, & circumstantiæ ferant, cō-fidenti animo operiendum est.

[p] Hier. de scriptoribus Ecclesiast.

7 Quæ contrà ducuntur argumenta, leviora sunt, quàm quæ cursum progredientis ad difficiliora, remorentur. Qui legendi est cupidus, apud [q] Petrum Martyrem, & citata, quæ in adversum stant, & doctè refutata, comperiet. Ego interim nihil addam, præterquàm purioris & antiquioris Ecclesiæ in re hâc judicium. Audite Clementem Alexandrinum, [r] *Si qui hominem Dei interimit, in Deum peccat, is quoque eius cædis reus tenetur, qui se offert iudicio. Is autem fuerit, qui non vitat persecutionē*

[q] Petr. Martyr. in Epistolis Theologicis.

[r] Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. 4.

se capiendum præbens per audaciam. Audite Origenem, super Johannem: [s] *Honestum quidem est, si inciderit certamen, pro confitendo Iesum, confessionem non differre, neq; tardare mortem pro veritate oppetere. At non minùs quàm hoc honestum est, tali tantaq; tentationi occasionem non dare, sed omnimodò vitare eam; non solùm, quia tantæ rei exitus incertus sit nobis, verumetiam, ne nos occasio simus, ut magis peccatores, magisq; impij evadant illi; qui nondum sanguinem nostrum quidem re ipsâ effudisse rei sunt facti &c.* Audite Cyprianum, [t] qui, licet ipse Martyrij palmam posteà tulerit, ità tamen populo fugam suasit, ut pro Christo Martyres existimaret, si inter discedendum, fame, bestiarum dentibus, & lanienis, aut hujusmodi eventibus interciperentur. Ejus hæc sunt verba: *Solus non est, cui Christus in fugâ comes est: solus non est, qui templum Dei servans, ubicunq; fuerit, sine Deo non est. Et si fugientem in solitudine, aut montibus, latro oppresserit, fera invaserit, fames ac sitis, aut frigus afflixerit; vel per maria, præcipiti navigatione properantem, tempestas, aut procella submerserit, expectat militem suum Christus, ubicunq; pugnantem.* Ità antiqui, & recentes, omninò, & simpliciter, non interdictã Christiano fugam arbitrantur.

[s] Orig. super. Ioh. Tom. 31.

[t] Cyprian. Lib 4. Epist. 6. ad Thybaritas.

8 Sed de Pastore gregis, & Præcone Evangelii, ex speciali munere, & vocatione, alia est determinatio. Siquidem ipsi, non sui corporis, sed alienarum animarum, cura agenda est. Ab ejus ore pendet populus, ut è maternâ mãma infantulus. Ejus & consilio, & auxilio, & exemplo, standũ est, & confessioni illius immorandũ. Et ut dixit aliquando,

Leo

Leo Romanus Episcopus, * *Quis inter fluctus maris naves diriget, si gubernator abscedat? quis ab insidijs luporum oves custodiet, si Pastoris cura non vigilet? quis denique latronibus obsistet, & furibus, si speculatorem, in conspectu explorationis locatum, ab intentione sollicitudinis, amor quietis abducat?* Perpetuò necessaria est populo, docentis, & consolantis persona: quantò magis, cùm quovis die nova ingruant discrimina, neque ullus tranquillitati locus datus est? Perniciosum est, rectorem in malaciâ navem deserere; quantò magis in fluctibus? Quàm tremendum illud est, & formidandum, si tuâ culpâ, sine Baptismo infantuli, sine sacramento Eucharistico languentes, sine veniâ Excommunicati, è vivis abscedant? quæ, quanta infirmis pariunt scandala? Imò quota pars tuæ congregationis, de Evangelij veritate, doctrinæque, quam docuisti, certitudine, ambigere incipiet, si te fugâ datâ, nolentem asseverare, tuerique tua, conspexerit? Quod tibi, id & sibi licere arbitrabuntur. Tu pedibus, & silentio, quodam modo, Christum abnegasti; negabunt illi linguâ, & manu, revocando sententiam, & conceptis inimicorum verbis subscribendo. Cavendum igitur est, ne suo exemplo, in ruinam perpetuam, infirmorum animas Minister præcipitet; ne illorum sanguinem, severo cum examine, ab ipso, ἀρχιποίμην ille Christus requirat. Confitendo, & confidendo, aliorum segnities excutienda est; excitandi sunt animi; erigendi spiritus; quò celebris Christi gloria elucescat

* Leo Papa Epistolâ.70. in concilijs.

amplius. Præeunte duce, sequentur milites. Audente ariete, reliquus succedet grex. Non verebitur populus, vel sanguine suo, Salvatoris veritatem obsignare, & probationem igneam tolerare, cùm Sacerdotem suum, in altari passionis immolatũ intuebitur. Ei igitur ex peculiari munere id incũbit, quod non incumbit alijs.

9 Reperiri non potest, qui definiat terminetque hanc litem, sapientior, fidelior, verior, justiorque judex, quàm Redemptor Christus: Qui, quid intersit inter bonum Pastorem, Mercenariumque demonstrans, ex suo id docet exemplo, boni[x] Pastoris esse, pro ovibus vitam impendere, se periculis adventantibus medium interjicere, & interponere, suâque vitâ ipsorum incolumitatem redimere. *Mercenarius autem*, inquit, *& qui non est Pastor, neque oves suæ sunt, lupum videt venientem, & oves linquit, & fugit, & eas lupus rapit, & oves dissipat.* Ecce non est alterius, quàm hominis mercenarij, accurrente destructore, suum gregem deserere. Et in nomine Mercenarij, infidus dispensator, incuriosus proditor, indignus, cui tanta sollicitudo concredatur, ibidem designatur. Quod, quantis quæso gradibus, aut parasangis potius, ab Oeconomo fideli, distare cogitabimus? Hinc, vitio aliquando [y] Novato versum est, quòd, cùm presbyter fuisset, (ut apud Eusebium, Cornelius Romanus Episcopus refert) procellâ persecutionis, & furoris, in Ecclesiam adventante, non modò plebem, periculis jam obsitam reliquerit destitutam, sed & vocationem suam omninò deseruerit, Sacerdotio renunciando, Presbyterique officium abnegando. Fuit tunc temporis,

[x] Ioh. 10.11.

[y] Euseb. Histor. Eccles. 6.35.

poris, mercenarius, & desertor gregis, uti posteà hæreticus. Debuisset potiùs eum exprimere amorem, & dilectionem in fideles, cujus meminit Johannes Apostolus, [z] *Per hoc novimus charitatem Dei, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere.* Ubi, ne ad Christũ solum ea moriendi prærogativa, quæ [a] Pastoris boni esse dicitur, spectare videretur, adjungit, *nos etiam debemus pro fratribus animas ponere*. Quod ex alijs etiam Christi verbis colligere, non est difficile: Cùm etenim dixisset, [b] *Maiorem charitatem nullus habet quàm istam, ut quispiam animam suam deponat, pro amicis suis*; immediatè subjungit, *vos amici mei eritis, si feceritis, quæcunque ego mando vobis*; acsi illis in memoriam revocaret, ipsum sanguinem, pro salute gregis, si necessitas ingrueret, effundendum esse.

[z] 1. Ioh. 3. 16.
[a] Ioh. 10. 11.
[b] Ioh. 15. 13.

10 Qui in Ecclesiâ primævâ viguerunt, sancti Sacerdotes & Episcopi, pręceptũ istud, & memoriâ retinuerunt, & passione pręstiterunt. Hinc [c] Petrus, calcibus in cœlum obversis, cruci suffixus est. [d] Jacobus & Paulus, gladio sunt occisi. Neque ferè quisquã fuerat [e] Apostolorum, qui non morte violẽtâ, & sanguinariâ sublatus expirârit. Animam pro fratribus cupidissimè posuerunt; unde magna Christianorum facta est sementis; nam, *Sanguis martyrum, semen est Evangelij:* Ita fecerat [f] Ignatius, qui, si quisquam alius, martyrij fuerat cupidissimus; & pro Christi amore, & confirmatione fratrum, crucem, flammam, ferarum dentes, eculeum contempsit. Similibus ivit passibus pijssimus [g] Polycarpus, qui veritati Evangelij apud Tyrannum testimo-

[c] Euseb. Eccl. Histor. 3. 1.
[d] Act. 12. 2. Euseb. Histor. 2. 24.
[e] Lib. 2. 1. 8.
[f] Lib. 3. 30.
[g] Lib. 4. 14.

nium reddere; non erubuit. Sic Justinus Martyr: sic elegans Cyprianus. Magis gregis, quàm sui, curam egerant, fidelissimi pastores. Nec novissima nostra tempora, infecunda, aut sterilia, indigáq; bonorum virorum fuerunt. Multi viri doctissimi, sanctissimi, constantissimi, sub Gardinero, & Bonnero, exhalârunt animã; nec congregationes suas dereliquerunt, usque ad mortem. Imò Episcopi celeberrimi, Ridleius, Latimerus, Hooperus, Ferrarius, & Archiepiscopus Cranmerus, sua corpora flammis tradiderunt, ut ex animo suã patriam, & Christi-fideles se diligere cõmonstrarent. Cùm fugiendi multæ viæ offerrentur; cùm, quæ absconderent, latebræ non deessent; cùm adhortationes ingeminarentur, ut vel tandem, post apprehensionem se subducerent; noluerunt ut Mercenarij suum populum deserere, sed pro lucro mortem existimantes, modò alijs infirmioribus in viâ salutis prælucerent, acerbissima perpessi sunt. Stulti sanè hi omnes, & insipientes summo gradu, Apostoli, Patres, Episcopi, Ministri, si cum obsequio ad Christum, & curâ gregis debitâ, suam posse stare fugam autumarent. Sed standi, manendique officium, suum esse cognoverũt. Dura si hæc videatur sentẽtia, Christi est; qui, ut omnibus [h] præcipit circumspicere, & prævidere, num amicos, patrem, matrem, uxorem, imò ipsam vitã velint pro Christo linquere, ità proculdubio, Ministris Evangelij, in memoriam revocat, ut magno cum judicio, & accuratâ consideratione, eam subeant provinciam. Quis domum structurus, non sedet apud se, & rationem init, num habeat, ex quo, opus possit perficere? Et quæ sequuntur.

[h] Luc. 14. 26.

11 At non desunt, qui, dum velum suæ velint timiditati obducere, rationes, & exempla fidelium hominum, in adversum adducunt. Carnis nostræ infirmitas ea est, ut vereri rectè possimus, ne tormentis superati, in medio tentationum succumbamus. Præstat igitur abesse, quàm religioni infamiam, & Divino nomini blasphemiam advocare. At videte intereà; ne, qui alios docuistis, præ Christo, amicos, parentes, conjuges, possessiones, mundum, imò ipsum sanguinem despicere, & vilifacere; hujus lucis usuram, & præsentis seculi delectationes, agnitioni Salvatoris præferatis. Linquenda pro Christo esse omnia, probè nostis. Quãvis igitur impotens, & imbellis videatur caro, si precibus, & invocatione Dominus sollicitetur, ut ijs benedicat, qui ex officio, ut adsint astringuntur; patientiam, & robur subministrabit, quo, quæ gravia sunt, levia videbuntur; & in medijs flammis, eum submittet rorem, quo refocillari possint, in angustijs, & torturâ, quæ degunt corpora. Aut si tantam nolit adhuc donare constantiam, occasiones dabit consolationis alias, persecutorum corda molliendo, aut tempus differendo, donec ex ipsis faucibus eripiantur. Spospondit [i] Deus se ultra vires non tentaturum; neque injecturum unquam onus, cui ferendo, pares futuri non simus. Novit ille probè vires nostras, & quid sustinere valeamus, quid ecõtrà. Pro singulari ergò suâ & clementiâ, & prudentiâ, amicè, placideqúe nobiscũ aget; ut Patrem ipsum in intimis angustijs agnoscamus. Si secundò addatur, fugientẽ hodiè, posteà rediturũ esse: Et cùm magis opus fuerit, tunc rursũ aderit: At caveat, ne Domino

[i] 1. Cor. 10. 13.

tempus constituat, in quo veritatem defendat suam. Nunc vocat Dominus, & parendum est; Non est faciendum malum, ut sequatur inde bonum. Nunc fremit, rugitque leo; nunc igitur oportet, ut adsit custos. Nunc oppugnat inimicus; bellator igitur seipsum opponat, tanquam murum pro domo Domini. Si deficiat, etiam hodiè; quantum inter oves, vel hodiè contingere potest excidium?

12 Verùm nobis & id licet, quod licuit aliis. Sancti homines in Scripturis (imò Salvator ipse) nonnunquàm in fugam se proripuerunt, neque tamē, ut desertores gregis sui, taxantur. Moses[k] à Pharaone se subducit; Elias[l] à Jezabele; [m] Vriah propheta, à Rege Jehojakin quæsitus, in Ægyptum se confert. Et prophetæ isti fuerant; speculatores Israëlis. Annon [n] Christus in Ægyptum, cum Josepho, & Mariâ, infantulus descendit, ut ab Herodis vesaniâ incolumis degeret? Annon posteà, cùm [o] procella immineret maxima, ut lapidibus propediem obruendus esset, se mediæ subtraxerat turbæ, conspectumque furiosæ multitudinis vitaverat? Et cujus potiùs vestigiis insistendum est, quàm Christi, Ducis, Dominique nostri? Imò mandato [p] speciali Apostolis injunxit, ut, cùm illos in unâ civitate homines persequerentur, in aliam fugerent. Cujus præcepti, vel tolerationis beneficio, ij posteà fruebantur sæpissimè. Sed num clarius, aut disertius quidquam haberi potest, quam, quod Paulus fecerat; qui eo ipso, de quo agitur, loco, [q] in sportâ per funem est dimissus, sicque fugiendo vitam est tutatus? Athanasius [r] etiam Alexandrinus Episcopus,

[k] Reg. 2. 15.
[l] 1. Reg. 19. 3.
[m] Ier. 26. 21.
[n] Math. 2. 14
[o] Ioh. 8. 59.
[p] Math. 10. 23.
[q] Act. 9. 23.
[r] Socrat. Hist. Eccles. 2. 13.

copus, cùm Constantius Imperator ipsum quæritaret, ut aut vinculis, aut morte plecteret, hùc & illùc discurrendo, fugiendo, latitando, se amentię, & tyrannidi insecutorum subtraxit. Et cùm ipsi, ex hostibus quidam, sed præcipuè Arrianis, contumeliæ verterent, quòd Divinam voluntatem operiendo non expectaret, [f] Apologiam, seu defensionem, pro fugâ suâ conscripsit, quâ copiosè demonstrat, se eàdem fuisse usum libertate, quam concedunt Scripturę, & Sanctorum facta confirmant. Ità grandi testium coronâ videntur circundari, Prophetarum, Apostolorum, Episcopi Athanasij, Redemptoris Christi, qui Ministro, & Pastori, capessẽdam fugam existimârunt.

[f] Athanas. in Apologiâ. Socrat. Histor. Eccl. 3. 6.

13 At istarum actionum circumstantias si velimus accuratè, ut decet, perpendere; nihil obstabit, quin, ut suprà, fugiendum non esse determinemus. Primùm igitur, de Mosis discessu non est quòd vereamur, dum Prophetico adhùc spiritu indutus non esset, cùm à Pharaone primùm discederet. Statuerat reverà Dominus, per ejus manum, posteà miranda efficere; quibus cùm usquedùm par non esset, speciali instinctu edoctus est, (uti probabiliter conjiciatur) se submovere. Quod apertè in Eliâ contigit: diserto namquè [t] Angeli edicto, iter quadraginta dierum capessere jussus est. Supererant alia, per ipsum facienda, quibus voluit Eliam reservatum Dominus. Et Decretum erat Altissimi, morte ipsi non esse moriendum, sed igneo curru ad cœlos transvehẽdum. Ità Christo, tunc infantulo, peragenda multa fuerant, docendo, sanando, miracula ostendendo, priusquàm tempus

[t] 1. Reg. 19. 5.

adventaret, quo, in altari crucis immolandus esset. Nondum venerat hora. Et ex vi Divinitatis, cujus oculis patent omnia, præterita, futura, hoc habuit cognitissimum. Isti autem omnes, cùm standi, & permanendi, ingrueret occasio, validissimè sua capita periculis objectârunt. Ad * Pharaonem quoties intrepidè accessit Moses, coràm, animi sententiam declaraturus? Annon * Elias, de facie cognitus, præsensq;, Ahabo idololatriam, & impietatem exprobravit? Sic & Christus Phariseos, & Scribas, palam increpavit in templo edocuit, Hierosolimis obversatus est; idq; omni ferè die; & tandē se capiendū, accusandū, flagellandum, crucifigendū ad tribunal stitit, acerrimū mortis judiciū subiturus. Cùm igitur nostra tempora nihil habent horū simile, suffugium ex istis capiendum non est, sed cōstanter permanendum. Istos etenim non oppressit mortis metus, aut vultus inimicorum absterruit, quibus ultrò sæpè iverunt obviam; sed & aliis majoribus experimentis, & exercitijs sunt reservati, idq;, ex certâ per Deum præscientiâ, revelatum fuerat; quorum nihil nobis est commune. Nos etenim, si languentes, & trepidātes, vertamus terga, prę lethi timore, hoc facimus; & quî nobis persuasum fuerit, majora posthâc nos manere? Non possumus celebrius Deo servitium pręstare, quàm in persecutionū procellis, immobiles, & immutabiles nos ostēdere. Et qui semel nos in pedes conjecimus, & sępiùs, & semper fortassis, cōjiciemus. Et si cōtingat, ut supersint altiora, & magis ardua nobis toleranda, quo modo id cōstabit? nū ex aliquo Oraculo, aut eloquio Divino? Nihil minùs. Carnalis igitur ista est imaginatio, nō Divini spiritus

* Exod. 5. 1.
* 1. Reg. 18. 17.

ritus suggestio, & consilium: Infirmitas humana, nō prudentia Christiana.

14 Quòd fugerint Apostoli, idq; precipiente Salvatore; licèt specie cum illis videatur cōsentire, reipsâ, nō est affine. Nā Apostoli tūc tēporis nulli certæ congregationi preficiebātur; quin in Judeâ, ubicūque Evangeliū predicarēt, ipsis succrevit seges. Non in unâ magis urbe, quàm in aliâ expectādus erat verbi Dei proventus. Ità Christus, neq; Hierosolimis, neq; Nazareth, neq; Cane, neq; Capernaū se astrinxit, sed in Judæâ quandoq;, in Galilæâ alias, interdum in Decapoli, vicatim, & oppidatim euns, semen regni disseminavit. Similis erat Apostolorum post Christi ascensionem provincia, qui generaliter in Gentibus præconizandum didicerunt, uti Paulo omnium [y] Ecclesiarū cura incubuit. Scopus igitur, & finis vocationis eorū, non erat irritus, aut inanis; cùm à loco isto ad illum discederēt; dum ubiquè fideles in unum congregare elaborarent. Imò credendum est, de industriâ nonnunquam, Dominum turbas, & tempestates excitâsse, ut ab unâ regione digredientes Discipuli, in aliâ pietatē edocerent. Sed post sermonē Dei propagatum, Politia Ecclesiastica est aliter instituta. In qualibet congregatione, Presbyteri per [z] Titū ordinandi erāt: & certis cætibus, sui certi Pastores, in [a] Actis Apostolicis designabantur; id, quod hodiè usuvenit. Nunc ubi standum est, & qui nobis pascendi, & instituendi demandantur, cognoscitur. Hoc tuę est ditionis, id illius; & quilibet in suâ statione, & vigiliâ sit assiduus. Hinc Diœceses, & Parœciæ, suis certis limitibus, & finibus distinguuntur; & in Rebuspublicis

[y] 2.Cor.11.28.
[z] Tit.1.5.
[a] Act.14.23.

Christianis, quò cuiq; proficiscendũ sit, in rebus sacris, intelligitur. Et in istis, Episcopus in suâ provinciâ, Minister in suo populo, officio per Christũ cõmendato fungatur. Ex ejus ore, ipsorum, post Deùm, pendent animæ: cibum ergò impertiat. Quis istorum sublevabit onera, si in maximo discrimine, patronus, & pater deserat? Paterfamiliàs summus Deus, illi suos liberos commisit educandos: ab ipso rursùm exiget. Cùm igitur lupus, aut tyrãnus advenerit, huic, nullo fugiendum est modo. Qui liber est, arbitrio utatur suo. Qui nõ certis personis alligatur, discedat si volet: statione non linquit. Et hoc ipsum, existimo in causâ fuisse, cur flãmâ, ferroq; apud Nostrates sævientibus, post beatissimæ memoriæ Edovardi Sexti felicia tempora, ex Episcopis, & Ministris nonnulli, ultima sint experti: erant scilicet certi gregis, pastores certi: Alij autem, præsertim ex Academijs, istâ, & Cantabrigiensi, in partes transmarinas diverterint. Non præposuisset eos Deus, alicui populo, coram quo ingrediendum, aut egrediendum esset; sed tanquàm filij Prophetarum, in scholis Prophetarum, liberè sunt enutriti, ut, cùm evocaret Deus, in promptu essent. Cùm Socij igitur Collegiorum fuissent, neque curâ Pastorali implicati, ingessit ipsis in mentem Dominus, ut aufugiendo, se, pro Seminario Ecclesiæ Anglicanæ, in sereniora usque tempora reservarent. Sed nihil hoc ad reliquos, qui astringuntur; ut nec aliud etiam Apostolorum, & Christi; qui speciali alicui non præerant loco; ut nec Paulus itidem, cùm è Damasco in sportâ dimissus discederet.

15 Verum aliud etiam est, quod in Pauli perso-

nâ

nâ exceptionem patitur. Persecutio, quæ Damasci orta est, non adhuc adversus omnes Christi-fideles, aut Pastores omnes est instituta; sed soli invidebatur Paulo. In eum, ejusq; unicum caput, ea erat cudenda faba, quippe qui ità vehementer Christum annunciâsset. Fremebant igitur in ipsum crudeles homines; ipsiusq; vitæ insidias structas cupiebant. Tuti satis, & incolumes vivebant ceteri; & ipse Ananias Damasci substitit; qui, cùm tantâ preditus esset gratiâ, ut Saulum cõsolari, & sanare valeret; proculdubio, & reliquis Christum profitentibus opportunè verbum subministrare poterat. Sed & alij etiam ex Discipulis adesse poterãt, ità, ut per Pauli discessum, necessarium Ecclesiæ ministerium destituendum non esset. Non cum tantâ fortassis copiâ, aut eloquentiâ, aut potentiâ, ut priùs, docerentur; verùm docerentur tamen. Specialis ergò ista cùm esset persecutio, & Personalis alicujus poterat esse fuga. Hoc ipsum, de Uriah in Ægyptum recedente, ut furorem Regis Jehojakin evitaret, asseverandum est. Tunc etenim, Hierosolimis mansit Jeremias Propheta, qui pro temporis necessitate, Divinam voluntatem, Regi, populoque notam faceret. Neque alia erat Athanasij causa; cui tanta ab Arrianis apud Constantium invidia conflata est, ut ejus vitæ insidiæ struendæ essent. Quemadmodum, cùm reliqui Sacerdotum Constantinopoli manerent, Johannes [b] Chrysostomus solus, unicusque in exilium pulsus est; & in ipsum omnis est derivata rabies; ità solus Athanasius Imperatori stomachum moverat, cùm reliqui è Clero Alexandriæ permanerent. Id

[b] Sozom. Hist. Eccles. 8.27.

[c] Athanasius in Apologiâ. Socrat. Hist. Lib. 3.6.

[c] quod ex eo constat, quòd, cùm semel inter concionandum militibus templum cingeretur, qui Episcopum comprehenderent; accesserunt Diaconi, qui nolentem, & invitum recedere coëgerunt; cùm ipsi potiùs in animo fuisset, in templo expectare. Adfuerunt etiam ex Clero alij, qui ità exeuntem circundederunt, ut Deo quasi oculos inimicorum obcæcante, à militibus, inter alios non dignosceretur. Cùm igitur per secessionem suam, Sacramentorum, sermonisque usum, & pietatis servitiũ, cum personâ suâ non auferret; sic fugere licuerat Athanasio, quod & Pastoribus nostro etiam licet tempore, si non generalis, sed specialis sit persecutio, & supersint qui instituant.

16 Et hoc pijssimum est, & solidissimum Augustini judiciũ de Athanasij discessu; & de alijs etiam, Epistolâ ad Honoratum, quam, si quam aliam, qui plura in istis velit cognoscere, consulat. Ibi [d] etenim ex proposito, doctissimus Pater, quæstionẽ pręsentem pertractat, & necessarium Ecclesiæ ministerium nullo modo derelinquendum asserit, sub animæ periculo. *Absit*, inquit, *ut tanti pendenda sit hæc navis nostra*, id est, ut Ecclesia tam vili sit facienda, *ut debeant eam nautæ, & maximè gubernator, periclitantem deserere; etiamsi in scapham transiliendo, vel etiam natando posset effugere.* Miseriam cõgregationis sic derelictę, & viduatę proponit etiam; et nomine Mercenarij, illiusque vindictæ, quæ ad Mercenarium spectat, Pastorem fugiturum absterret. In Personali tamen persecutione, cujusmodi illam Athanasij appellat, licere tergum vertere affirmat; cùm adsint, qui suppleãt, alij. Quòd si Generalis

[d] Augustin. Epistolâ 180. ad Honoratum.

fuerit rabies, aut adversus pios omnes, aut Ministros omnes; prudentiâ, & fidelitate, utendum est. Si pereat populus, simul etiam sese Sacerdos offerat, ut ducem ad coelum; sin omnis fugiat populus, ut non supersit, cui doctrinâ opus est; et Minister tùm discedat. Sed si pax fuerit apud Laicos, caveat Sacerdos, quo modo abscedat, cùm et ipsi sine duce sint linquendi; et apud aliquem ipsorum, non deerunt latebræ, ubi pro Dei promissione delitescat. Quòd si, sæviente in Pastores solos tyranno, plures, et numerosi in eodem grege, Ministri reperiantur; si convenerint inter se, manendum aliquibus, ut populo præfulgeant; discedendum reliquis, ut pro Seminario Ecclesiæ seponantur, censet. Ubi tamen, ne aut quisquam invitus subsistere cogatur, aut alius nimiùm de suis viribus præsumptuosus permanere eligat; sortitione, vel sorte jaciendâ, rem decernendam arbitratur. Nihil doctius Augustinus; nihil sanctius; nihil prudentius: cui suffragatur Ecclesia, ab eo tempore, Orthodoxa, quantum ego novi; sed et nos calculum addimus; in hâc summâ, quæ dicta sunt, complectentes omnia; viro Laico in persecutione licere fugere, ità foeminæ, aut juveni; quià pro alienis animabus rationem reddituri non sunt; sed expectandum esse Ministro, si pastoralem curam habeat; & adversus personam suam, cùm sint plures Pastores, non sit instituta persecutio: sic autē, cum reliquis, communem curam posse ad tempus transmittere. Et de isto hactenùs.

17 Promiseram initio, me propter similitudinē Argumēti, de pestiferâ sæviente tēpestate, adjecturū aliquid; cujus rei materia, licèt non ità directè, ex

Paulino exemplo peti possit; ex sermone tamen
e Iohan.10.12. Christi, apud [e] Johannem, multò rectiùs; ubi sub *lupi* nomine, periculosum, divastansque omne intelligatur. Hîc, uti dicam breviter; quemadmodum fuerunt, qui nulli Christiano ineundam fugam in Persecutione disputârunt; in quibus, ut suprà liquet, fuerat Tertullianus: ità magna hominum pars, & in primariâ Regni nostri urbe, non pauci, præsertim autem, qui inferioris sortis sunt, à pestilentiâ ingruente, non esse secedendum, affirmabunt pertinaciter. Expertus loquor. Et assignant rationem, sibi fortassis speciosam, quòd morbus iste & contagio, Divina sit visitatio, cui se subducere, nulli licet hominum. Et quòd cuilibet suum vivendi tempus assignetur; quod, ut nullo modo produci, aut protelari, sic nec contrahi, præverti aut anticipari potest. At quàm ista sunt futilia, prudenter inspicienti? Nam si quidlibet mihi liceat pro arbitrio aggredi, quià certa mihi tempora moriendi sint præfixa, & periodus sit vitæ; nec priusquàm expirandi advenerit hora, ullo pacto moriar; quid ni, & in mare me projiciam,
f Math. 4.6. aut à rupe mittã præcipitem, aut, ut [f] Satanas Christo suggesserat, me de templi pinnaculo deturbem? Ostendit Salvator, hoc esse, tentare Dominum,
g Versu. 7. quod præcisè [g] interdicitur. Summus Deus, uti fines nobis ordinavit, sic ordinavit media; & ea omni modo sunt nobis perquirenda. Conservandæ vitæ medium, est edere, & dormire, & à malis me revocare, & periculis ingruentibus: & oportet ista facere. Quod autem ad Divinam visitationem attinet; esto sanè virga Dei; & si eâ te percusserit,

patienter

patienter est ferenda. Sed cùm non est opus, ne temerè teipsum ingeras; ne tibi violentas videare ingessisse manus, sicqué homicidij reus esse.[h] Pestilentiam, & morbos, in flagellorum suorum numero, & acerbissimorum, recenset Deus: Sed et gladium etiam, & famem, & noxiarum bestiarum dentes, & alia ut ejusdem planè generis. Cur igitur non in illis, Divinam castigationem amplecteris, æquè ac in peste? Cùm [i] Saul jaculo suo Davidem consossum, parieti affigere cogitásset, cur aufûgit David? Cùm fames magna Jacob, & Patriarchas premeret, quare frumenti causâ, misit in Ægyptum Jacob, & non potiùs inediâ periit, quià Divina esset castigatio? Magis piè & sapienter, tûm Jacob, tûm David.

[h] Deut. 28. 59. 61. Ezech. 14. 21.

[i] 1. Sam. 19. 10.

18 Fugiendæ sunt cuilibet, sui perdendi occasiones. [k] Speciale est præceptum, de vitandâ cæde; si alienâ, certè nostrâ: siquidem charitas incipit à seipsâ: & diligendi sunt alij, non aliter, quàm [l] ut nos ipsi. Si nobis igitur non liceat, mortem ullo modo consciscere, nec & viam ingredi, quæ ducit ad mortem; nec media aggredi, quæ juxtà sunt. Et ut in aliis istud, sic in peste; quæ, [m] occisor sanè est, & millia multa quàm citò dissipat. Iterùm; proposuit Deus etiam plagas suas omnes, & terribiles, & metuendas; & animis igitur, & corporibus avertendas. In istis est Pestilentia. Præterea, cùm incolumitatis sui populi rationem haberet Deus, de leprâ copiosè in lege disseruit; qui dignoscenda esset; quomodo discernenda; ad quem ejus cura spectaret. Sed & leprosos, habitu distinctos esse voluit, & exclamare, [n] Ego immundus

[k] Exod. 20. 13.

[l] Math. 22. 39.

[m] Psal. 21. 6. 2. Sam. 24. 15.

[n] Levit. 13. 45.

sum, ego immundus sum. Itâ, extra castra, aut urbem degere sejunctim, ᵖ & separatim præcepit, ne cõtaminatâ fœditate suâ alios inficerent. Si morbo leviore, qui infestat profectò, sed non occîdit ut Pestis, noluerit Deus suum populũ inquinari, quantò magis à contagione plurimùm formidabili, citò discedendum esse voluit? Turcæ igitur, id quod faciunt, in loca pestilentia, & contagiosa, sine discrimine irruant; Christiani autem, se contineant. Neque importuni homines exclamando querelas faciant de fratribus suis; qui necessarijs temporibus, se, & liberos, & familiam suam subducunt. Quibus Deus ejus rei opportunitatem concessit, ij bono cum animo utantur. Sed absentes, languentibus suis fratribus, jam miseris, ne desint; verùm consilio, auxilio, quibus poterint modis, juvent, dirigant, consolentur. Ea Christianorum est sympathia, & compassio.

ᵒ Versu.46.
ᵖ Numer.5.2.

19 Sed de Ministro Evangelij, & Pastore gregis aliud sentio. Et quæ supra habentur rationes, de animabus hominum suæ curæ demandatis, unde in Persecutione non discedat, hîc etiam locum habent. Si fervente Pestilentiâ in fugam se converterit, quis necessaria Ecclesiæ officia præstabit? quis sermonem sanioribus? quis ægrotantibus consolationem impertiet? Infinita profectò sunt, quæ ipsum in usum quotidianum advocant; neque rectè possunt transigi, si Dux desit spiritualis, qui consiliũ adhibeat. Credo igitur Sacerdoti, hoc est, Pastori gregis, ne Mercenarius fiat, discedendum non esse ex peculiari suâ vocatione, quæ libertatem, alijs impertitam & indultam, ᵗ tollit. Quia tamen, in

privatâ,

privatâ, secretâque morte, non eousqué eminet Divina gloria, ac in aperto martyrio, bonæ causâ conscientiæ; & quoniam universæ congregationi multa sunt præstanda munia, æquè atque ægrotantibus; non existimo, ei necessitatem incumbere, ut thalamos, & cubicula ægrotantium ingrediatur; quod sine manifesto vitę discrimine, fieri non potest. Media ergò aliqua sumenda est via, ut nec fugiat, nec contagioni, se confidenter nimis immisceat. Ubi aderit occasio, scribendo, nunciando, acclamando, à longè stando, & adhortando adsit; quibus, & aliorum consulat bono, & nimis etiam, in se non accersat mala. Quòd si insignis aliqua causa, ad Divinam gloriam apertissimè faciens, aut Ecclesiæ utilitatem conspicuam, vehementer urgeat, ut alicui adsit; modò post orationē seriam, & affectuosam, suæ conscientiæ instinctus, id prudenter, & sobriè, & summo cum judicio submonuerit, (multum etenim tribuo, sobrio viri prudentis instinctui; & prudentissimus debebat esse, Minister Evangelij) potestatem ingrediendi, non audeo tollere. Sed ut Medici in talibus tempestatibus, se suffumigijs, & odoribus, & medicamentis, corroborant, ità corporis quam potest curam agat. Sed præsertim, orando humiliter, & præsumptuosam arrogantiā apud summum Numen diffiteatur, & animā in eventum omnem, Deo commendet. De populo, per Pastorem, in templa convocando; cùm ità grassabitur pestis, ut meritò verendum sit, ne in arctum coëuntes, languorem inter se, & infectionem magis adaugeant; nihil præscribo; sed circumstantias, aut conveniendi, aut in domibus privatis permanendi

Magiſtratus, Miniſtri, piorumq́;, in congregatione judicio vigilanti, & circumſpecto relinquo; quibus curę eſſe debet, ut ſanctè, amicè, prudenter, & cum minimo, quantùm fieri poteſt, incommodo, tranſigantur omnia. Neque hîc quiſquam, aut ultra ſobrietatem ſapiens, aut præter modeſtiam pertinax eſſe debet; ſed in commune humiliter conſulere. Sic habetis de Fugâ, tûm in Perſecutione, tûm in Peſte, animi mei judicium. Averte æterne Deus hęc mala à nobis, & à noſtrâ Ecclesiâ; & concede propitius, ut per omnia ſecula, ad adventum uſque tui filij, noſtra Anglia pacatè Evangelium amplectatur, ad filij tui gloriam; cui tecum, & cum Spiritu Sancto, ſit honor, & immortalitas in æternum. Amen.

AN

AN DEVS SIT AVTHOR PECCATI? CAP. 6.

Apocalypſ. 17. 17. Deus enim dedit in corda eorum, ut exequantur, quod ipſi viſum eſt, & ut conſentiant, dentq́; regnum ſuum Beſtiæ, donec compleantur verba Dei.

3. Pontificiorum calumnia contra Protestantes. 4. Ab homine, non à Deo peccatum ortum eſt: 5. Permiſsione Divinâ contingit. 6. Et gratiam ſubducendo. 7. In actione operatur Deus, non in obliquitate. 10. Et offert ea, quæ mali in peccatum convertunt. 12. Explicatio teſtimoniorum Scripturæ, quæ ex adverſo ſtare videntur.

DE Antichriſto, & Beſtiâ, quorum geſtus, ſedes, potentia, totius ferè mundi dementatio, ſi alicubi, præſenti iſto capite ad vivum delineatur, non eſt inſtituti noſtri hodiè dicere. Ejus etenim Controverſiæ perplexi nodi, Johanniſque Apocalyptici non rara Ænigmata, non unam, quæ nobis jam supereſt, horam, ſed dies, menſeſque multos deſiderant, ut pro myſterij dignitate explicentur. Et ſi ea certè provincia ſuſcipienda eſſet, recenti, ala-

crique aggredienda esset militi; non fesso, ut nos sumus, & languenti. Sed Ducem illud requirit exercitatissimum, in omni militiæ genere versatum; non hominem gregarium, cui benè est, si qualem, qualem operam, in prælijs Domini præstare possit. Quòd istud igitur tetigerim, (ut veritatem liberè agnoscam,) invitus quasi, et renitens facio, Argumento jam tandem alio destitutus, quod Sexto repræsentari possit loco. Quæ etenim præcesserunt Quæstiones quinque, aut ab animo obtrusę meo, aut ab alijs, quibus pauca negare possum, oblatę accesserunt: sed cùm ad Sextum tandem lapidē perveniendum esset; & nostrum præ sterilitate suâ defecit ingenium, & hortatus defuit, compellatioque aliorū, quibus poteram, jam indigus sublevari. Tandem tamen, revocato quasi spiritu me accinxi, non inutilem in præsenti (quod sperabam) negocio, operam positurus, si, quo modo Deus hominibus malignis in animū suggerat, ut eas peragant actiones, quę malitiam in se continent, exposuero. Cui quidem ansam præbet, quod narrat Johānes, de Regibus, jugo Bestiæ sua colla subdentibus.

2 Cùm etenim de Principibus, et mundi Monarchis, Divinus spiritus disseruisset, quos suis philtris, et medicamentis suarum fornicationum amatorijs, inebriatos reddidit Babylonia Meretrix; Divinam esse voluntatem contestatur, ut hæc fiant; Dominumque omnium, ipsis in cor indidisse, ut Dominia, Regnaque sua Meretrici submittāt. Cùm verò [a] Antichristus sit Adversarius, & homo perditionis, sese Divinis eloquijs opponens, et contramittens; & quantum in ipso est, è sede, thronoque suo, Salvatorem

[a] 2. Thess. 2,3.

rem mundi deturbans: cùm religio, cultusque, quem sui sequacibus proponit, non nisi multis superstitionibus involutus, plurimisque fœditatibus conspurcatus esse poterit: cùm ejus milites & clientes, devoti, juratique Christi hostes censendi sint: cùm, qui penes inimicum hunc, authoritatem, potestatēque suam statuant, tenebrarum, & caliginis perpetuæ regnum promoveant, et adaugeant: quique istis faciendis, animum, aut operam immittat, quæ mala sunt, et pessima, peccatoque contaminata, suggerere, juvare, efficere videatur; quid de Deo judicabimus, aut de ejus actionibus sentiemus? num mali, aut peccati authorem esse cogitabimus, quod non nisi blasphemum est, et à Majestate tam sacrosanctâ alienum; aut leviori interpretatione, dogma molliemus, et circumstantijs distinguendis, aut Scripturæ testimonijs reconciliandis, Deo suam innocentiam, & integritatem, hominibus verò pollutionem propriam, et multiplicem transgressionem asseremus? [b] Deus verax quidem sit, & omnis homo mendax.

[b] Roman. 3.4.

3 Edmundus Campianus, qui Romanæ synagogæ in Angliâ tùm labentis ruinas suffulcire se posse jactitaverat, cùm in Ecclesiæ contumeliam, & Protestantium omnium, ut [c] Goliah quondam in exercitū Hebræorū, convicia quotquot poterat, voluisset congerere; Paradoxa, seu ἄδοξα recenset, à nobis defensitata, in quibus illud primo occurrit loco: [d] *Deus est author, & causa peccati, volens, suggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc, impiorum scelerata consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit, ut vocatio Pauli, sic adulterium Davidis,*

[c] 1.Sam. 17.8.

[d] Campian. in 10. Rationibus cap. 8.

Iudæquè proditoris impietas. Et istâ implicare, & irretire sententiâ, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas omnes, ut per contemptum ipsi nos appellant, parùm curat. Sed & alij Pontificis asseclæ, multò maximae Reformatorum catervæ, ista solent objicere; præcipuè verò iis, qui modum, & ordinem Divinæ operationis, in reprobis, hominibusquè impiis, penitiùs, & exactiùs discusserunt. Cujus querelæ amovendæ gratiâ, [e] nonnulli Apologias conscripserunt, suamquè, & Ecclesiarum mentem explicatiùs tradiderunt. Quoniam tamen perversa ipsorum malignitas non desistit obgannire; & quò pleniùs informentur, qui me hodiè audiunt, neque magnam in Quæstione istâ operam posuerunt; Operæ-precium existimo, Ecclesiarum Reformatarum in præsenti causâ doctrinam explicare & stabilire. Id igitur inconcussum, & firmissimum fundamentum apud nos permanet, Divinam Majestatem, peccati, & vitij authorem non esse. Qui etenim boni unicus est fons, cujus omnia [f] opera fuerant condita absolutè bona; qui in Angelis immorigeris, in orbe antiquo per diluvium pereunte, in Sodomis sulphureo igne dissipatis, iniquitatem, & injustitiam tam severè vindicavit; qui in resurrectione justorum, perpetuis cum tormentis, & gehennalibus, de transgressionibus impoenitentium, supplicium est sumpturus; suam gloriam immaculatam, eousquè contaminari non vult, ut malitię, & ἀδικίας effector, opifexq; existat. Hoc etenim illud esset, quòd labe ineluibili tam insignem innocentiam conspurcaret, & talibus innodaret laqueis, qualibus est impossibile,

[e] Petr. Martyr. in Epistolis Theologicis. Whitakerus contra Campianum.

[f] Genes. 1.31.

possibile, ut supremum illud Numen distringeretur. Quoniam tamen nihil fit, quin Dei digitus quodam modo videatur in ipso se ostẽdere, ponemus Aphorismos quosdam, & conditiones; quibus Dei operatio ostendatur; &, quæ putentur in adverso stare, Scripturæ testimonia secundum fidei Analogiam explicentur.

4 Primò igitur; in initio, cùm à Divino pręcepto facta esset per Adamum exorbitatio, non à pio conditore profecta est hæc transgressio, sed ab homine, & Diabolo. Fecit Deus impollutum hominem, & incontaminatum, arbitrio reverà fruentem libero, per quod stare potuisset, modò voluisset; & cujus etiam vi, penes ipsum esset, in perditionis foveam se immittere. Accessit Satanas, (qui eâdem liberâ voluntate cecidisset priùs) & ex suo in Deum, ejusque creaturam odio, suggessit, quod non oportuit. Ità loquitur apud Judæos Christus: [g] *Pater vester Diabolus, occisor fuit ab initio, & in veritate non permansit, quià non est in ipso veritas. Cùm mendacium loquitur, ex suo loquitur, mendax etenim ipse est, & eiusdem pater.* Advertite, quod ex proprio loquatur Satanas, non sic factus à Deo. Descivit à primo gradu, in quo fuerat constitutus, Adamus etiam, per defectionem: Non aliter, quàm vinum, quod per aëris circumambientis vitium, aut dolij, in quod funditur, corruptelam, austerum nimis, aut insipidum saporem contrahit, quo in naturam acetosam transmutatur. Qui carpendo uvas, vindemiavit, & qui calcavit torcular, culpandus non est quòd austeritatem, posteà contrahendo,

[g] Iohan. 8. 44.

è vino in acetum permutatur: generoſum enim ille, ſalubrequé reliquerat. Sed aliunde, & extrinſecùs acceſſit defectio. Qui patre pio, bonoqué natus eſt, nequé vel veſtigia audaciæ, & impudentiæ in paternâ vitâ conſpexit, ſociorum fœdis tamen moribus contaminatus, in nequitiam prorumpit. Non eſt iſtud vitio vertendum Patri, quòd labe filium infecerit, præſertim cùm per ætatem, ſui jam juris factus ſit filius, nec ulteriùs à parentis nutu pendeat; ſed facilitate ſuâ nimiâ, ab exemplo domeſtico honeſtatis, & virtutis, juvenis degeneravit. Morbos quoſdam Medici appellant Hæreditarios; per ſemen genitoris, in prolem propagatos. Non injuſta eſt querela nati; qui, ſe ex ipſis parentum lumbis, ſuum hauſiſſe morbum pronunciabit, cùm putridum, malignumqué intra ſe humorem ſenſerit. Sin parentes ſani, robuſtiq;, fætum ſui ſimilem procreaverint, ut valens, vigenſque corpus habeat, ſucci, ſanguiniſqué plenum; verùm in rixas & pugnas, ſe ingerendo, vulneratus fuerit; ſicq; languens ex vulnere decubuerit; ſtultitiæ juvenili aſcribendum hoc eſt, non parentum infectioni. Sic ſe habet tùm Satanæ, tùm Adami corruptio. Ingenerata non eſt, ſed aliundè aſcita. E vino, facti ſunt acetum, è generoſis, degeneres; è ſolidis, & ſanis, vulnerati. Immunis eſt Creator, vitioſa creatura. Egregiè Baſilius: [b] *Non ingenitus eſt morbus, neque item Dei opus, ſed benè creata ſunt animalia, convenienti eis præparatione, ſecundum naturam, & membris diſtincta in vitam prodierunt. in morbos verò ſecundum naturam ceciderunt, à ſanitate deficientes, vel ob malam di[illegible]tam,*

[b] Baſilius ſermone, quòd Deus non eſt author malorum.

ſeu

seu aliam causam, quæ corporibus accidere solet: corpus itaque Deus fecit, morbum minimè fecit. Et animam similiter Deus fecit, non autem peccatum. Ità Origenes: [1] *Cùm statuarius imaginem effictam, auroqué exornatam tradiderit, post verò rubigo, tuâ negligentiâ qui possides, eam per se quidem splendescentem exedat, ac deformet, causa in statuarium transferenda est?* Sic, num Deo hominis vitium imputabimus? Nullo modo. Hoc [2] ipsis Manichæis alioqui Hæreticis innotuit satis, qui, cùm malum bono quoad tempus, adæquarent, & utrumque à principio aliquo exortum crederent, duo rerum initia statuerunt, Deum à quo omne bonum, & Dæmonem à quo omne malum profectum est. Malè sanè, quòd Dæmonem, actionum fontem esse, actionum, inquam, non ut malarũ, posuerunt, sed rectè, quòd supremo Numini, nullam pravi, curviqué suspicionẽ, affigere voluerunt. Sic nec in primâ prævaricatione, nec in labe eâ, quæ per traducem descendit; perversi, & immutati humani animi, reus est judicandus Creator omnium Deus.

1. Origen. Dialogo. 3.

2. Augustin. contra Faustum Manich. Lib. 21. Et de Hæresib. ad Quod vult Deum Epiphan. Hæres. 66.

5 Secundò dicimus; quòd peccata quælibet, in Principe vel in filijs tenebrarum, non nisi Divinâ toleratione, & permissione committuntur. Cui etenim Omniscientiam, & Omnipræsentiam, & Omnipotentiã tribuimus, is nescire, & ignorare actiones mortalium, non est credendus. Qui in [k] obbam lachrymas reponit; qui [l] passerculos observat in terram descendentes; qui capillorum numerum inire cognoscitur, creaturarum facta omnia probè novit. Nihil igitur, ipso insciente contingit

k Psal. 56. 8.

l Luc. 12. 6. 7.

nedùm repugnante, & avertere laborante. Dissolvit ille ausus, & conatus potentissimorum, pro suo beneplacito. Ipsum Satanam ad obsequium, ut in catenâ habet; quantò magis ministros, clientesq; suos? Non sęvitiâ majore, aut ferociori rabie grassantur, quàm ipsi omnium moderatori visum fuerit. [m] Judęos Haman volebat radicitùs extirpare; [n] Paulum tres & quadraginta conjurati occidere cupierunt; sed obstitit Deus. Neq; alia impiorum flagitia perpetrari valebunt, nisi Deo permittente. Sic, errata, & delicta renatorum, & electorum, eo patiente fiunt. Qui Davidem à cæde [o] Nabalis juratâ cohibuit; poterat etiam à cęde Urię eundem revocare, et à crimine adulterij. Qui [p] magistri sui negationem prędixit Petro, poterat etiam prohibere, et omninò impedire, ne abnegaret. Sed homines in proposito suorum cordium perseverare tolerat; partim, ut reproborum justior fiat condemnatio; partim, ut electi humiliati ex consideratione suorum lapsuum, sese cautiùs in posterum gerant. Sed inprimis Divina hinc eminet gloria; quæ in pœnis improborum, & excidio perditorum æquè emicat, atque in præmijs fidelium, & sanctorum honore; neque minimè etiam in eo est conspicua, quòd mortalium omnium omnes actiones, in bonum possit convertere, & ex malitiâ aliorum depravatâ, non modò sui nominis celebritatem, sartam-tectam conservare, sed & miris modis adaugere. Rectè Clemens Alexandrinus: [q] *Divinæ sapientiæ, & virtutis, & potentiæ est officium, non solùm bona facere, (hæc est enim, ut semel dicam, Dei natura, ut ignis calefacere, & lucis illuminare) sed illud quoq; maximè, ut id, quod per ma-*

[m] Esther. 3. 6.
[n] Act. 23. 12.
[o] 1. Sam. 25. 34.
[p] Matth. 26. 34.
[q] Clemens Alexandr. Stromat. lib. 1.

malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliquem finem, & utilem deducat, & utiliter ijs, quæ videntur mala, utatur. Permittit ergò mala, qui non facit mala. Et, qui ex præceptis legis, peccata interdicit, à nequitiâ deterrens; tolerat tamen fieri. Ubi illud Augustini veritatem obtinet: [r] *Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, ut miro & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem; quià non fieret, si non sineret; nec utiqúe nolens sinit, sed volens.*

[r] August. in Enchiridio ad Laurentium, cap. 100.

6 Tertiò, immortalis Deus, pro ęterni sui decreti ratione, quemadmodum aliquibus, apprehensionem cœlestium, fidemque subministrat, sic, aliis, quos in æternas præconstituit flammas, subducit gratiam; quâ qui semel destituuntur, in omne nefas, sine modo, aut mensurâ proruunt. Apostolus [s] sæpè, iis ad quos scribit: Priusquàm cordibus vestris illuxisset Christus, fuistis Gentiles; sine Deo in hoc mundo; fœditate conspurcati; nequitiâ obducti. Et quotquot sint, quibus non præfulget Spiritus; in nihil non malorum feruntur præcipites. Non ad terram magis gravia, aut versus cœlum levia, velociùs feruntur, quàm sine Dei adminiculo, ad omnigenam fœditatem, humana caro. Paulus ad [t] Romanos, Gentiles, Deum in mundi machinâ, legeque naturę contemplantes, & tamen contẽnentes, significat à Creatore, sibi suisq; pollutionibus derelictos. [u] *Tradidit eos Deus, cupiditatibus cordium ipsorum*; atque iterùm, [x] *Tradidit eos Deus fœdis affectibus*; & tertiò, [y] *tradidit eos Deus in sensum reprobum*; vel in mentem omnis judicij expertem.

[s] Ephes. 2.2.3. Colos. 1.21.

[t] Roman. 1.21.

[u] Vers. 24.

[x] Vers. 26.

[y] Vers. 28.

Sed & recensentur fructus, qui in agris istis sic incultis sunt enati; impuritas, & fœdatio suorum corporum, in libidine ardor, naturę inversa perversio, & alia infinita. Nihil aliud Paulus significatum voluit, quàm leprâ quasi tetrâ, & Contagione immedicabili eos teneri, quibus Deus timorem suum, & sacrosancti Spiritus influentiam salutarem sustulerit. Et quòd omnibus non auferat, suæ planè est misericordiæ; quę cùm totum humanum genus, in Protoplasti crimine, nequitiæ vinculis involutum ità, deprehendisset, ut justè possit singulos condemnare; præ suâ tamen benignitate, gratis, & gratuitò, sevocavit aliquot, quibus spem cœlestis regni concessit; ijsque sacri Spiritus opem, afflatumque impertijt; quo, in vitæ puritatem, & sanctitatem vergerent. Verùm, hoc ipsius planè clementię tribuendum est; ut & severitati, justitięq; suę, quòd cæteris hunc favorem non impendat. Cùm tamen vultus lumen, benedictionemque subtraxeerit, in quantas vitiorum sentinas, & colluvies, suâ sponte reprobi isti prorumpunt? Originalis etenim maculæ radix, in amplam peccatorum segetem, nequit non pullulare; sicut in vepres, & urticas, necesse est terra excrescat, si coloni dextra non accesserit. Unde, non ineptè, perversorum fœditates, lapidibus, & saxis, in structuram fornicis, operisvé arcuati congestis, comparantur, quorum pondus, columnâ subtùs stante sustentatur, & suffulcitur. Si advenerit Samson aliquis, qui vindictam super Philistæos sumpturus, columnam, uno quasi ictu, diruendo auferet, occasionem ille præstitit ruinæ domus: sed prę suâ gravitate, saxa concident,

ut

ut quæ præter naturam ſuam, altiore loco repoſita fuerunt. Non ſecùs ſeſe habet Omnipotentis manus; quæ cùm gratię suę ſolidum firmamentum ſubripuerit, ſuâ ſpōte, mortalium mens in ruinam prolabetur. Attamen, ut gravitati lapidum acceptum ferendum eſt, quòd deorſum provolvantur; ſic hominis injuſtitiæ, corruptęque cogitationi, adjudicādum eſt, quòd in peccata pręcipitetur. Ità, reus tenetur homo; innocens Deus; qui ſubtrahendo Spiritum, ſenſu aliquo, peccatum non vetare dicatur, neque tamen peccare facere.

7 Quartò, in ipſis actionibus, quæ ex humanâ parte vitioſæ ſunt, Divinus planè eluceſcit digitus; ſed ità, ut actionis, operiſq; motor ſit, et impulſor Deus; non autem obliquitatis, aut curvitatis in agendo. Excitat enim Dominus Spiritus impiorum, ad nonnulla aggredienda, in quibus piorum probetur patientia; aut ſuorum filiorum errata caſtigentur; aut ſupplicium pro atrocitate ſcelerum, & tranſgreſſionum, ſumendum eſt: quæ omnia, ex parte Creatoris ſunt juſtiſſima, & vel à rugâ aliena; cùm alio tamen affectu feratur homo impius; non pietatem, aut Divinum reſpiciens obſequium, ſed ſatisfactionem ſui animi. [z] *Quòd mali peccant, ipſorum eſt*, inquit Auguſtinus, *quòd verò peccando, hoc, vel illud agant, ex virtute Dei eſt, tenebras prout viſum eſt dividentis*. Cùm igitur uterque, id eſt, Deus, & homo, juſtus Deus, & iniuſtus homo, unum, idemq; volunt, et efficiunt; finis ob quē, & modus per quem uterq; operatur, diverſam in utriſq; operationem, diverſum opus faciunt. Voluit [a] Deus Davidis concubinas vitiari; quāvis non pręceperit. Et voluit

[z] Auguſt. de prędeſtinatione Sanctorum.

[a] 2. Sam. 16. 21.

Abſalomus. At in Deo ſcopus erat præfixus, ut Davidis adulterium caſtigaret; ſicque, ipſum ad ampliorem, & arctiorem pœnitentiam duceret. Abſalomi autem meta erat alia; ut libidini nempè propriæ ſatiſfaceret, paternoquе animo vulnus infligeret. [b] Suſcitavit Deus Jehu, ut Achabi progeniem funditùs everteret; quò tùm tranſgreſſiones ejus familiæ vindicaret, tùm ſuum compleret eloquium, ab Eliâ Prophetâ pronunciatum. Vertiginoſus autem ſpiritus ambitionis Jehu mentem occupaverat, vanæ cauſâ gloriæ, in tribunal aſcendere cupientis. Noſtro ſæpè ſeculo contingit, ut ſanguis ſanguine puniatur. Qui occîdit innocentes, ab alio, qui ut flagellum Dei immittitur, (etiamſi homo pravus ſit) interficitur. Operatur iſthîc Deus; operatur homo: juſtè Deus, quià juſtè puniens; peſſimè occiſor, quià avaritiæ gratiâ, aut invidiæ interficiens. *Fortè* [c] *aliquis dicat*, inquit Ambroſius, *quomodò in parricidio, vel in inceſtu, manus fuerit Dei, cùm opus illud inimici ſit. Cognoſcamus igitur, quoniam & ubi Diabolus vulnerat, ſagittæ Domini vulnerare dicantur. Domini eſt pœna, Diaboli malitia.*

[b] 2. Reg. 9. 7.

[c] Ambroſ. in Pſal. 37.

8 Auguſtinus ſuper Exodum, de homine, per Deum, in manus impij occiſoris tradito, ſic loquitur: [d] *Cùm volens & ipſe occîdit, & Deus tradidit in manus eius; hoc intereſt, quod illîc tantùm Deus fecit; hîc autem & Deus, & homo, propter voluntatem facientis; ſed non facit Deus, ut homo. Deus enim non niſi iuſtè; homo autem pœnâ dignus, non quià illũ occîdit, quem Deus nollet occîdi; ſed quià per iniquitatem: non enim miniſterium Deo iubenti præbuit, ſed ſuæ malignæ cupiditati ſervivit.* Cùm hic igitur

[d] Auguſtin. Quæſt. 79 ſuper Exodum.

tur suo indulgens furori, actionem vitiaverit, operando longè diversus est à Deo. Modus ideò, & finis, facta nostra bona, à malis, legitima ab illegitimis discriminant. Romani Magistratus capitis dãnatos securi feriebant, sæpissimè; & rectè, quià justitię exequendæ gratiâ, & terrendi alios. At [e] Flaminius aliquando, in prandio sedens, damnatũ captivum accersi fecerat, et coràm decollari. Pessimè sanè factum; quià non in beneficium Reip. hoc prę ceperat; sed ut Amasij desiderio, quod refert [f] Plutarchus, meretricis lasciviæ, quod [g] Hieronymus habet, morem gereret. Semper rationem, ordinemque facti attendamus; et purius fiet judicium. Sed in unâ, et eâdem re, voluntatum diversitas diversa producit. Decumbit fortassis in lecto moribundus pater; quem è vivis sublatum, Deus, filiusque cupiunt. Sed omnipotens Deus, ut è valle miseriarum, ad æterna, cœlestiaque tabernacula amoveat: prodigus verò filius, ut extincto patre, hæreditate perfruatur. Quid æquius in Deo? quid iniquius in filio? Ità sanè operari, in ijs Dominus cognoscitur, quæ sunt mala; sed non quatenùs sint mala; neque ut sint mala. Augustinus de gratiâ, & libero arbitrio, cùm de præsenti materiâ disseruisset; digitumque Dei, in movendo, & impellendo, versari docuisset, concludit tandem: [h] *Satis quantùm existimo, manifestatur; operari Deum in cordibus hominũ, ad inclinandas eorum voluntates, quocunqúe voluerit, sive ad bona, pro suâ misericordiâ, sive ad mala, pro meritis eorum; iudicio utiqúe suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autẽ iusto. Fixum enim esse debet, & immobile in corde vestro, quià non est*

[e] Livius lib. 39.

[f] Plutarch. in Catone majore, & in Flaminio.

[g] Hieron. in Matthæi cap. 14.

[h] August. de gratiâ & libero arbitrio.

iniquitas apud Deum. Miror sanè, quòd Campianus ore patulo, in Augustinum nõ exclamârit; quòd Deum dixerit, in cordibus sic operari, ut inclinet corda ad mala. Nihil aliud vult doctissimus Pater, quàm quod nos volumus; inclinare Deũ, homines, ad ea perficienda, quæ ex humanâ parte mala sunt.

9 Et quid aliud veritati conjunctius esse potest, quando certum est, neminem hominum aliquid posse operari, cui non adsit, & insit DEUS? Ratum etenim illud est, & inconcussæ veritatis, de mortalibus omnibus, non de pijs solis, quòd [i] *in Deo vivimus, movemur, & sumus*. In ipso movemur, & ubique, & perpetuò: ipse igitur nos movet; & in omnibus. Sin, impulsi, nostrâ sponte transversim feramur, aut titubanter; id nostri vitij est. Actiones, & motus Dei sunt: claudicationes, & exorbitationes nostræ. Non dissimilem supplet locum, in mente Dominus, atque in corpore anima, quæ sensus, & roboris causa est, & è loco profectionis. Si habilia, idoneaqué membra, præstantior nostri pars repererit, en, ordine fiunt omnia. Sin arescat brachium, sicut [k] Jeroboamo aliquando, ut fortiter, & robustè non possit manus rapere, aut commodè contrectare; aut genua sint debilia, infirmaqué crura, ut corporis molem sufferre nequeant; sicqué, hæsitanter, & titubanter eatur; in membra hęc invalida, non in animam culpa rejiciatur. Talis est Omnipotentis ἐνέργεια in nobis; quę, si rectam animi dispositionem invenerit, pia facit esse opera, & talia, quæ laude digna sunt. Quòd si malâ mente, motum ejus, & impulsionẽ capiamus, & in transversa obliquè, perperamqué exiliamus, id nostræ

[i] Act. 17. 28.

[k] 1. Reg. 13. 4.

nostræ culpæ est. Non ineptè, ad faciliorem tanti scrupuli expeditionem, his similibus res omnis illustrari queat. In forum rerum venalium, suum famulũ, dominus necessaria mercatũ mittit. Sed servuli ea est improbitas, et petulantia, ut in viâ pugnis quenquam obvium cædat, aut in foro furtum faciat. Si de facto fiat quæstio, respondebit dominus, se in causa fuisse, quamobrem è privatâ familiâ puer discesserit, in plateam ierit, in forum venerit; quòd autem inter eundum, injuria quenquam lacessierit, aut quid clàm subripuerit, id alterius esse; puerilis scilicet proterviæ: per ipsum non stare, quin pœnas luat. Rei igitur causa est, & author, sed non malæ rei, inter agendum perpetratæ. Theologi recentiores in istis exprimendis Similitudine aliâ mirè commodâ, uti consueverunt. Cùm ad iter, peregrè quisquam profecturus, se accinxerit, equum conscendit. Qui voluit [l] stare sonipes, et fræna, non ferox spumantia mandere, ex virgâ, aut calcare equitantis, ad motum, imò cursum incitatur. Quis negaverit, impulsorem esse solum equitem? Sed inter movendum, parùm equus promovet; quià pede claudicante impeditur. Deformis hic est motus, et inutilis cursus, qui sessorem fortassis, ut excandescat, provocat: quis sessori, claudicationem istam crimini dabit? Ita planè Deus noster, ut in multa incitemur, causa est; neque certè moveremur, nisi ipse incitâsset. Sed quum claudi in incessu, in operando vitiosi appareamus, hoc nostrum est, et non Dei. Sua igitur potentia, et æterna præsentia, integra Domino permaneat, quâ impiis etiã adest, sed nõ ut sint impij. Nihilo magis, ille labẽ, aut maculam contra-

[l] Virgil. Aeneid. 4.

hit, ex præposteris suarum creaturarum actionibus, quàm ex putrido cadavere, aut fimeto, Solis radij vitium sordesque colligunt. Innocuus, & integer, & omni modo ἀναμάρτητος permanet Omnipotens, fœces homini ut ab homine ortas relinquens. Ex sese unico est perditio Israëlis, sed salus ejus à Deo. Et hactenùs, de quarto doctrinæ nostræ fundamento.

10 Sed & quintum adhuc est, non indignum quod addatur. In actibus moderandis, & disponendis hominum; bonum sanè ob finem, (quantum ad ipsum spectat) ea submittit Deus, & offert, quæ per ipsorum abusum & applicationem pravam, malis occasiones sunt, peccatorum suorum. Sed, quòd ad mala, vel improbus, vel regeneratus, hæc oblata pervertat; id ipsorum est. Formosam fœminam, coram homine libidinoso hâc, illâc transire, ut infirmos ægrosque visitet; aut ad Deum in Ecclesiâ colendum vadere, instigat Dominus. Hinc, adulter, opportunitatem libidine exardescendi nanciscitur. [m] *Vt vidi, ut perij.* Parùm sanè dubitamus, quin ex speciali Dei voluntate fuerit, ut Bethsabe, se ob oculos [n] Davidis ablueret: quòd verò in adulterium otiosus Rex proruperit, Davidis fuerat; qui suis moderari, & imperare affectibus tunc temporis non didicisset. Nũ vestis illa [o] Babylonica, & argẽti massa, Achano in tentationẽ, & offendiculũ fuisset, nisi suo consilio Dominus decrevisset & determinâsset, talia irritamenta ipsius conspectui proponenda? Obtulit igitur occasionem cœlestis Pater; sed, quã homo pius evitâsset, Achanus est amplexus. Sicut igitur, in Offensis distinguere consuevimus, esse Scandalum datum, & Scandalum acceptũ; acceptum sępè Scandalum,

[m] Virgil. Ecloga 8.

[n] 2. Sam. 11.2.

[o] Iosuah. 7.21.

dalum, cùm non datur, sic, porrigitur à Deo aliquid, quod in se non est malum, et tamē à personâ accipiente, in peccatū transmutatur. Medicamentū, quod à Medico ad cholerā expurgandam subministratur, cùm in stomachum cholerâ oppressum, et repletum inciderit, et ipsum etiam in choleram convertitur. Num ex Medici errore, hoc factum est, an potiùs à stomacho, aut ventriculo, humore putrido exundāte, proficiscitur? Verùm tamen, cùm infirmi, omniumq; fragilissimi naturâ simus; et nisi afflatus ille coelestis, et Paracletus adstiterit, leviculo omni vento, in discrimen inèxtricabile ruituri; orandus est Deus, et assiduè implorandus, ut in [p] tētationē nos non inducat. Cuilibet enim ea gratiæ mensura non est cōcessa, quæ Abrahamo; quâ, usque ad unici sui filij immolationem, immobilis stare poterat. Precandum est, *ut [q] avertat Deus oculos nostros, ne videant vanitatem*; ut cohibeat linguam, sicut ostio, aut fræno. Aut si fidei, & patientiæ explorandæ causâ, nos velit in probationem, tentationemque ducere, ut à [r] malo tamen liberare dignetur, ne oneri succumbamus, et auxilio salutari destituti, in perniciem incurramus. Et certè isthæc opportunitatum ad peccandum suppeditatio, per hominum improbitatem, grandis deviandi est occasio.

[p] Matth. 6.13.
[q] Psal. 119.37.
[r] Matth. 6.13.

11 Nonnunquàm contingit, ut, cùm acerbę inimicitiæ inter duos emerserint, sceleratos forsitā, et infames utrosq;, quorū alterū, pro flagello, virgâq;, alteri esse Deus constituit, ut vel venatum, aut aucupatum, aut commoda quæsitum, hominem morti destinatum mundi Rector emittat; & ità, ut hosti armato, necesse est occurrat; qui licèt (legū me-

tu coactus) manus libens noluerit conserere, nedum occidere, furoris tamen, stomachiq; violẽtia impulsus, et aggreditur, & ferro perimit. Occisum occisor non quæsijsset, sed datum obtruncavit. Malitiosa profectò mente; ideoque peccans: Cùm alium habuerit DEUS operandi scopum, nempè, ut scelestos è medio tolleret, & pœnas requirendo, nomẽ suũ glorificaret. Et, ut, quod verum est, hàc in re fatear; tales occasiones sic ingerendo, nonnunquàm Dominus, ea, quæ ex se sunt benedictiones, in severius judiciũ, et profundiorẽ maledictionẽ, et condẽnationẽ reproborũ, succedere permittit. Ministeriũ Verbi, est ipsiũ organũ, et instrumẽtũ salutis animarũ; ita ut, quibus id Æternus dispensator impertire cognoscatur, benedictionẽ impẽdere meritò videatur. Sed cùm populo immorigero virisq; pervicacibus prædicatũ fuerit; quorũ oculi obcęcãtur, ne videant; et incrassantur corda, ne intelligant; in ruinã grandiorem, futura est hæc Verbi auditio, quià sermo, qui profertur ex pręconis ore, in judicio, testimoniũ adversũ, dãnãsq;, est perhibiturus. Facilius erit[f] Tyro, & Sidoni, quàm urbibus Chorazin, et Bethsaida. Admonitiones Ministrorũ, durioris rebellionis auditores cõvincunt & coarguunt. Et, quod adhuc est ampliùs; delusiones impostorũ, et Antichristi; sic et lapsus sanctorũ, ob oculos repręsentari reprobis, et Idola colẽtibus, facit DOMINUS, ut, qui veneno delectãtur, venenũ exugãt; cùm intereà quæ apis esset, ex eo potiùs flore mel conficeret. Sic in Antichristi sectatoribus factũ est; ut Miracula falsa cõspiciendo, in reprobũ magis sensum tradantur; puniente illic DEO duritiam cordis; nõ peccante. Jeroboamus aliquandò, cui Deus sui vul-

[f] Luc. 10. 14.

tus

tus lumē, gratiāq; subduxisset, tāquā Idolis serviens, in æternam ruinam proculdubiò est destinatus. Advertite tamen, quas ansas huic præbuit Creator omnium, ut in superstitioso vitulorum cultu pergeret. [t] Accessit Propheta, qui aris Jeroboami, & sacrificātibus, dira minitaretur: quem cùm Rex vellet cōprehēdere, exarescēte immediatè dextrâ palàm plectitur. Cùm nec voce, nec miraculo, nec verbo Prophetico, nec malo suo, edoceri adhuc Princeps voluisset; quin in malitiâ perseveraret, excitavit occasionē cōmodiorē, justus judex, quâ impulsus, ad suā perniciē, Rex infidelis perrexerat. [u] Ambitiosus, juxtà habitaverat Propheta, qui prioris Prophetę glorię invidēs, (ne famâ & existimatione, apud populū præiret) ad eundē accessit, et mendaciū excogitans, in nomine Domini, in domū suam illū reduxit, cibūq; comedere coēgit; quā ob causam iratus & excādescēs Deus, leonē miserat, qui nō obsequētē occideret. [x] Josephus hanc historiā recitans, occasionē à Domino suppeditatā arbitratur, ex quâ, perversus Rex in nequitiâ suâ perstaret, & permaneret. Cùm enim, oculis suis occisum nunciū videret; cogitavit extēplò ipsum, impostorē esse; & non ex oraculo Divino, sed è suo cerebro, exitiū, in altari adolentibus interminatū fuisse. Quo pacto namq;, verè possit submonere alios, qui cavere sibi nequiret? Et cùm istud multoties senior Propheta, qui decepit, ingeminaret, audaciā sumpsit Princeps, ut in vomitu suo versari perpetuò, nō trepidaret. Ità Deus operatur, proponendo hominibus ea aliquandò, quæ, quamvis ex Dei parte sint justissima, malæ tamen menti sunt offendiculo, & titubationi. Professorum Evangelij lapsus, &

[t] 1. Reg. 13. 1.
[u] Vers. 11.
[x] Joseph. Antiquit. lib. 8. 3.

notabilis error, aliquibus nostro tempore, in Papismo induratis, ita dati Scandali vicem supplet, ut refractarios magis illos, ac ab Evangelio aversos faciat.

12 Ex istis modò quasi jactis fundamentis, operantem Dei manum considerare licet, quo pacto, Agens in omnibus reperiatur, sed non Author peccati. Revocetur in mentem, quod primò patefactum est; non creatione Divinâ, sed vitio hominis, & Satanæ, accessisse peccatum. Secundò quòd mali nihil contingit, nisi permittente Domino. Tertiò, quòd subducit ipse aliquibus gratiam; & sic in peccata ruitur. Quartò, quòd in omnibus quibuscunqúe demùm actionibus est motus Divinus; sed non in claudicatione, exorbitatione, & obliquitate. Quintò, offerri ea per Dominum, quæ, quanquam in se non sint flagitiosa, impiorum tamen cogitata, per innatam ipsorum pravitatem, ad ἀνομίαν incitent. Ex istis non est difficile, in Scripturis, omnibus, quæ ex adverso videntur stare, incolumem, integramque justitiam, & sanctitatem Numinis conservare. Ut igitur, ei, primo occurratur loco, quod hujus Quæstionis ventilandæ causam subministravit, [y] Reges illi, & Principes, qui Meretrici Apocalypticæ, imperia subdiderunt, fornicationem suam supremæ Majestati referre non debent. Quamvis etenim à Deo proficiscatur aliquid; à sese tamen malum. Deus igitur ijs posuit in corda, ut Bestiæ se consociarent. Subducendo illius spiritum, id ipsis in mentem venit: Cujus cùm amotionis, Deus ipse causa sit; humano loquendo more, dicitur ipsis in animum suggessisse. Iterùm,

[y] Apoc. 17.17.

Antichristum multa facere perpessus est, quæ ad ejus obsequium, fluctuantes & incredulos pellicere possint, & accersere ad scortationem. Tertiò, ipsis in mentem indidit, ut ea agerent, quæ, quanquam per iniquitatem agentium transversa fuerint, & immutata in malitiam, alium tamen ob finem, à Domino facta sunt: ut Prophetias scilicet expleret suas; ut puniret fortassis inobedientiam hominum: ut justiorem ipsorum condemnationem faceret. Cùm illud citatur, [z] Deum esse, qui mala condit in civitate, respondent Scholastici; sed ante illos [a] Tertullianus. Marcionitis etenim dicentibus, Deũ esse authorẽ mali, quià scribitur, Ego sum, qui condo mala; respondet Tertullianus, esse mala quæ sunt delicta, & mala quæ sunt supplicia: mala quæ sunt culpæ; & mala quæ sunt pœnæ: illorum authorem esse Diabolum, horum, Deum creatorem. Trita ista sunt; & cuique obvia, nec ijs immorabimur.

[z] Amos 3.6.
[a] Tertull. lib. 2. contra Marcionem.

13 De Pharaone legimus apud Mosen, quòd indurâsset cor ejus [b] Dominus; quod videtur significare originem malorum, à Dei duriore animo profectam esse. Respondet [c] Origenes, *Indurat Deus non agendo, sed patiendo, & non perdendo; acsi Dominus lenis de servo malo diceret, Ego eum perdidi, & corrupi: non docendo malum, sed non puniendo pro malo*. Permissionem Divinam, & tolerantiam, accendisse ipsi stomachum censet. Verè quidem: at est aliquid ampliùs, quod habet [d] Augustinus; *Non obdurat Deus, impertiendo malitiã, sed non impertiendo misericordiã.* Quod idem est, acsi diceret, contigisse obduratione, quià Deus subduxit gratiam. Verissimè, si quid aliud; sed & tertium superest. Cùm etenim, mollities cor-

[b] Exod. 7.6.
[c] Orig. lib. 3. περὶ Ἀρχῶν.
[d] August. Epist. 105. ad Sixtum.

dis, & obsequendi aptitudo, per subtractionem Spiritus sublata fuisset; misit Mosen Deus quovis die, qui verbũ proferẽdo, & signa ostendẽdo, pectus ejus de integro percelleret. Cùm promoveret tamen nihil, ad obdurationẽ cordis posteriora hęc fecerũt, & trãsgressionẽ insigniorem. Sed hoc ex ipsius fuerat corruptâ priùs naturâ, nõ ex Verbo, aut Miraculis. Nõ possunt ista cõparari meliùs, quàm fabri malleo; qui si candens ferrũ, & igne emollitũ percusserit, in varias (licèt ferrũ sit) figuras efformat: sin, in metallũ frigidũ, aut incudem recidat, nihil aliud, quàm duritiẽ crassiorẽ impertit. Incrassato ex se, callosoque cordi Pharaonis, accesserunt sermones Mosis; è quibus in majorem & rigidiorẽ obdurationẽ crevit. De Davide unũ est, quod multis injecit scrupulũ: sine causâ profectò. [e] Incitàvit Deus, inquiunt, Davidem, ut numeraret populũ: Et punivit tandẽ. Quod punierit tam severè, manifestum est peccatũ fuisse. Et cùm moveret Deus, ut faceret, quid ni author peccati fuerat? [f] Annotârunt Genevenses, incitâsse Deum, Davidẽ, id est, Satanæ permisisse, ut incitaret. Et interpretationem suam è libro Chronicorũ stabiliunt: ubi [g] expressis dixit verbis Spiritus Sanctus, stetisse Satanã adversus Israëlem, et provocâsse Davidem, ut Israëlem numeraret. At penitiùs aliquantò adhuc, doctissiméq;, et sanctissimè, Tremelius, et Junius, qui in textu è Samuele, non Dominũ, sed adversariũ, id est, Satanam, Davidẽ suscitâsse exponũt; et sic legũt, *perrexit autem ira Iehovæ, accendi in Israëlitas; quum incitâsset adversarius Davidem in eos, dicendo agè, numera Israëlem, & Iehudam.* Ubi vocem, *adversarius*, minusculis literis è suo adjiciunt supplemento: sed

[e] 2.Sam.24.1.

[f] In nota marginali Anglicè, ad 2.Sam. 24.1.

[g] 1.Chr.21.1.

to: sed adhibitâ ratione, ex phrasi Sacris literis familiari; ubi Nomina Conjugata, Verbis suis; ut è cõtrà Verba Nominibus inclusa latent. Ita in Verbo incitandi, latet Incitator, id est, ad malum, Dæmon: in Adversando, Adversarius. Non est igitur, ut de illo solliciti simus testimonio, cùm à Dæmone, ad peccatum commotum Davidem, asseratur.

14 Ex his quę dicta sũt, difficile nõ est, & alijs, quot quot fuerint, occurrere, secundum fidei analogiã. De [h]Sehone Rege Hesbõ per Deũ obdurato, ut Israëlitis trãsitũ nõ daret; & de reliquis [i] populis, qui etiam in Canaane, à Domino indurati perhibentur, respõdere paucis licet, ut de Pharaone: Subduxit Deus gratiã, & occasiones datas, in perniciem eorũ converti passus est. Jussit Deus [k]Shimei, ut Davidi cõvicia, & contumelias intẽtaret: Hoc est, cõstituit Deus linguã Shimei, tãquã flagellũ Davidi, ut ipsũ peccãtẽ corrigeret, et castigaret. In quo, cũ Domin⁹ pœnã, et justitię executionẽ, humiliationẽ scilicet Regis spectaret; sed homo malitiosus, ut cõviciando, iræ, et libidini suę perplaceret, malè fecit Shimei, justissimè Deus. [l] Roboamo Deus author fuit, ut stultè loquẽdo ad populũ, decẽ Tribus uno die perderet. Nõ, quòd Roboamo immiserit imprudẽtiã, sed prudẽtiam detraxerit. Hinc, Seniorũ contẽptũ est cõsiliũ. Et Juniores prestò esse voluit Deus, qui pessima suaderent; quibus, enervato priùs ingenio, et mẽte, necesse fuit, ut Roboamus auscultaret. Adeoq; ampliùs, prophetici sermonis sui per Abiã, cõplemẽtũ; et pœnã in familiã Salomonis (propter Idololatriã) et in multas Tribus, quę, ut probabile est, simul cum Rege suo Salomone, fornicatæ fuissent, respexit. Roboamus puerili suo satisfactũ voluit

h Deut. 2. 30.
i Iosuah. 11. 20
k 2. Sam. 16. 10
l 1. Reg. 12. 15.

animo: Jeroboamus ambitioso Regni desiderio æstuavit: scopus Dei, erat sola justitia, & veritas. [m] Dominus mendacem posuit spiritum, in ore Pseudo-prophetarum, qui Achabo astiterunt; hoc est, permisit Satanæ, ut Zedechias, & socij apud Regem, mendaciter effutirent sua. Ubi, cùm Satanas Achabi interitum captaret, dum Deo cuperet inobsequentem reddere; supplicium, super hominem incredulum, & homicidam, meta fuerat unica, ad quam Jehova collimavit. De spiritu vertiginis, & soporis immitti dicto, & de eo etiam, [n] *Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis, induràsti cor nostrũ, ne timeremus te*, respondendum est ut suprà, per subtractionem gratiæ, & misericordiæ non donationem, partim ista fieri, & partim, quòd opportunitates tentationum Deus præbeat, quibus ipsi succumbunt. Non est, quòd infinitus sim, in Scripturæ authoritatibus discutiendis, cùm eadem universi Sacri Codicis sit ratio, & supremum Numen illud, quod unicum, gloriâ, & honore, & immortalitate dignum est, à labe alienum, à crimine immune, perpetuò stat.

[m] Reg. 22. 23.

[n] Esai. 63. 17.

15 Quoniam tamen, nihil quicquam ad negotium incumbens, illustrius esse potest, quàm Christi Salvatoris nostri cædes, & crucifixio, uno quasi verbo, de eâ dicendum est. Cùm enim insignis illa fuerat prævaricatio in populo, quòd innocuum Dei Agnum ad mortem duxerint; sicqué, filij, Omnipotentis, sanguine manus suas commaculârint; & cùm Judas, si quis unquàm alius, in ipso prodendo, peccatum adversus Spiritum Sanctum perpetrârit, cui nulla unquàm futura erat remissio; à Petro tamen

[a] tamen, facta esse dicitur hæc crucifixio, definito consilio, & præstituto Dei. Quare igitur, id, crimini hominibus duxit Deus, quod futurum ipse noverat, permiserat, statuerat, & in quo, si alicubi, suus digitus eluxerat? Non immeritò. Alium etenim ob finem, occisum voluit Pater filium; ob alium Diabolus; ob tertium, Judas; & quartum, populus. Isti siquidem ut parērent Sacerdotibus, & Principibus; ille, ut pecuniam, suæ proditionis precium, lucraretur: Dæmon, ut mundi Salvatorem è medio tolleret; sed Creator Cælestis, ut ex morte Unigeniti, redemptio electorum, & ab æternâ servitute liberatio prȩstaretur. Audite Origenem. [p] *Deus tradidit Christum, propter misericordiam circa genus humanū: quòd unico filio nō pepercit; sed pro omnibus nobis tradidit eum. Cæteri autē tradiderūt eum iniquo proposito, unusquisque secundū malitiā suā; Iudas propter avaritiam, Sacerdotes propter invidiā; Diabolus propter timorem, ne avelleretur de manu eius genus humanum, per doctrinam ipsius.* Ità, modum, et finem distinguit Origenes, operationum Divinȩ, et humanæ, in nece Christi; sed disertè nostro instituto, applicando, et colligendo, non accommodat, ut inde excuset Deum, & accuset hominem; id quòd piè, et eleganter, facit Augustinus, tribus locis diversis, qui sensu conveniunt.

[a] Act. 2. 23.

[p] Orig. super Matth. 26.

16 Ad Vincentium etenim sic loquitur: [q] *Cùm pater tradiderit filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Iudas Dominum suum, cur in hac traditione, Deus est pius, & homo reus, nisi quià in re unâ, quam fecerunt, causa non una est, ob quam fecerunt?* Ità rursus. [r] *Si pater filium tradidit, & filius*

[q] August. Epist 48 ad Vincentium.

[r] In Psa. 64.

 semet-

semetipsum tradidit, Iudas quid fecit? Pater tradendo filium ad mortem pro nobis, benè fecit; Christus tradendo seipsum pro nobis, fecit benè; tradendo Iudas magistrum pro avaritiâ, fecit malè. Sed & tertio: [f] *In eodem facto, invenimus Deum patrem, in quo invenimus Iudam: Patrem benedicimus; Iudam detestamur. Quare Patrem benedicimus, Iudam detestamur? benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem.* Hactenùs Augustinus. Ità, in eodem facto, ut dixi sæpiùs, finis ad quem ferimur, & modus per quem ferimur, diversum faciunt de rebus judicium. Si utrumque horum justum, & honestum sit; justa actio futura est: quòd si utrumvis sit malum, in nequitię scopulos, necesse est ut factũ impingat. Cùm igitur (utcunque in latrinis, & cloacis immunditierum degant homines) purissima omni modo sit Divina Majestas, cujus oculi in alijs nihil perferre immundũ possunt, nedùm in se, [t] Sanctitatem DOMINO, & Sanctitatem esse DOMINI clamemus: Creatorem incontaminatum esse, & creaturam lapsam miserè, profiteamur. Divinam sanè in omnibus pręsentiam, & incitationem etiam, contemplemur, & admiremur; sed blasphemiam de DEO cogitare vereamur; multò magis linguâ proferre. Calumnias Campiani, et hominum malitiosorum, quantum in nobis fuerit, doctrinæ sanæ integritate, & fideli in erudiendo prudentiâ abstergamus, & amoveamus. Et eousque ab eo absimus, ut injustitiam, vel iniquitatem, apud DEUM esse suspicemur, & imaginemur, ut [u] Florinum, & illius sequaces omnes, tanquã horrendos Hæreticos, cum antiquâ Ecclesiâ condemnemus; qui malas dixit DEUM creâsse naturas, atque sub-

[f] Tractat. 7. in Epist. Iohan.

[t] Exod. 28. 36.

[u] August. de hæresibus ad Quod vult Deum.

substantias; inquantùm sunt substantiæ: Cujus dogmatis complexio, et necessaria conclusio, ut peccati authorem, fautoremque, Deum necesse est coarguat. In malam Florinus rem eat, et omnes sui similes, qui, sic, mali Opificem voluerunt esse sanctissimum Creatorem.

17 Sicque, tandem aliquando, de Mendacio in Rebeccæ fraude: de Baptismo Fœminarum, & Laicorum, in Tsipporæ Circumcisione: de Astrologiâ Judiciariâ, in Cantico Deboræ: de præsentiâ in cultu Idololatrico; è facto Naamanis; de fugâ Ministri in persecutione, ex discessu Pauli: de integritate, & innocentiâ Divinâ, in sermone hoc Apocalyptico, habetis Lectiones sex. Quas, pro more Academiæ, solennes (si ita loqui liceat) duo fecerunt: vestra præsentia, & attentio, viri doctissimi, gravissimi, sanctissimi, undiquaque lectissimi; & rerum ipsarum celebritas. Utinam & ego is fuissem, qui vel lectione, vel ingenio, vel eloquio, vel judicio, authoritatem etiam potuissem addere. Sed habetis, quales quales fuerint. In quibus discutiendis, illud libentissimè profiteor, & agnosco; post immediatam Dei gloriam, & audientiũ utilitatem, illum mihi unicum præfixum fuisse scopum, ut languentium meorum fratrum spiritus excitarem, ut, si alicubi (tali potissimùm in causâ) sit collocãda opera, in rebus velint illustrioribus (absit verbo invidia) illã impendere; iisque, quę ad vitam cõmunem inprimis faciunt. Digna etenim ea sunt, quæ in tantâ Academiâ, & apud tales viros pertractentur. Multum poterit, in rebus difficilioribus expediendis, varia, multiplexq; lectio; multũ poterit industria: plurimũ autẽ

 animus

animus terrestribus non affixus, sed sincero Dei cultui devotus, & dicatus. Quòd si assiduæ, et frequenti lectioni, si industriæ invictæ, & indefatigabili, si animo in pietatem consecrato, devota, humilisque accesserit oratio, beabit vos Deus, fratres, summus ille, & supremus beabit Deus, dicamné supra expectationem vestram? imò suprà quàm cuiquam credibile est: quod ad vestrum modulum attinet. Ita, quæ ex nostrâ, qui præcessimus, desunt parte, ex vestrâ qui sequimini, supplebuntur omnia. Modò, nihil superest, post gratias ex meâ parte immortali Deo actas, quin ut Divinum invocemus Spiritum, ut pro inæstimabili suâ clementiâ, & misericordia, nobis perpetuò velit affulgere; ut, cùm, loco Prophetarum, & filiorum Prophetarum statuti simus, ex quorum ore, in corda populi, intelligentia, & scientia instillanda sit, sic, lucis, & veritatis radio, atque face præire velit, ut ea doceamus, quæ ad Trinitatis gloriam, ad auditorum fructum, nostramque salutem faciant, in Christo Jesu, cui cum Patre & Spiritu Paracleto, sit infinitus honor in æternum.

Deo Gratias.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC OPERE CONTInentur; ubi prior numerus caput significat, posterior Paragraphum.

Dæmon

D

E

Lapsus

N

T

Tsippora

FINIS.